


RÓPL.
33

1518

*Septimius*



1518.



# VLR ICHI

DE HVTTEN EQVITIS GERMANI  
ad Principes Germaniæ, vt bellum Tur  
cis inuehant. Exhortatoria.

Publico Germaniæ concilio apud Auguftam  
Vindelycorum. Anno domini.  
M.D.XVIII.

MAXIMILIANO AVSTRIO  
IMPERATORE.

CVM PRIVILEGIO  
IMPERIALI.




Rösp. 33/A. y. d.

HVLDERICVS DE HVTTEN EQ. GERMANVS  
Chunrado Peutingero Patricio Auguftano Salutem.

**D**Eclamaui his diebus Peutingere, & causam si dijs placet arduam declamaui. Conatus sum tamen, cū quia argumentū delectabat, tum vero, quia ocium suppetebat. Id qualecunq; est, ad te mittendū putauī primū, vt te aliqua nouitate vt cunq; adficerē, deinde vt animo tuo suspiciōē, si quā ex illo diuturno meo silentio concepiſſes, eximerem. Videri enim poterā, oblitus tuę in me beneuolentię seignius, q̄ pro dignitate amicitia nostram colere. Sed distinuit me quidā, nuntians epistolā ad me tuam, vna cum nescio quo Cęsarīs munere, diuagari, & ad me propediē peruenituram. Quam dum expecto, vt videā quo me euehas (scio enim aliquid machinari te) simul sperans fore, vt in illo principū Auguſtæ (qui nimis iam differtur) conueni, ipse coram de multis colloquar, nihil properandū ad te putauī. Tu vero desine aliq̄ ingratitudinis suspicari. Non sic memoria excidit, quanta tu nuper diligentia, quantoq; studio, redeuntē ex Italia me cōmendaueris MAXIMILIANO Cęsari. Qui cum tua graui oratiōe in confellū amplissimoꝝ viroꝝ, de meis studijs, deq; illa erumnoſa per Europā peregrinatione, simul de quadā mea scelicit̄ illi pugnata pugna, persuasus eſſet, vt me honoraret, quos tu nō magnificos titulos, quæ non celebria nomina, quas immunitates, quæ priuilegia protulisti: vt ingratiſſimus sim omnium, qui vsq; viuunt mortaliū, nisi te valde amem, ac reuerenter colā. Proinde continuo oculis meis obuersat, qua me primū hospitalitate in tuam domū accepisti, deinde qua prædicatione, quibus amicis cōmendasti. Postremo qua pompa ad Cęsarē adduxisti, vt ille tuo instinctu ad se admisit, vt coronā poeticā imposuit, illam aio coronā, illam laureā, quam tu ante domū tuę, accurate con-textente & adornante filia tua Constantia, omniū quæ istic sunt puellarū, & forma & moribus præstatiſſima, apparaueras. Herent ista mihi animo, ac diutiſſime herēbunt, tam quia per se magna satis sunt, quā quia auget ea, quod tibi ciuitate pariter ac ordine diuerso accepta refero. Quod ubi cogito, & quia ab incun-

te ætate sic vitam institui, vt q̄ gratiſſimus esse studeā, erga eos præsertim, quorū aliqua in me benignitas, nedū benemeritū, perspecta sit, nunq; desino magnifice tuā in me beneuolentiā, tuaq; ista merita cōmemorare. Quod si molesta fuit hæc tibi taciturnitas mea, da veniam, iugi posthac literarū missione resarcire paranti. Et iam quæris forte, quemadmodū me tractet aulica vita. Nondum optime. Quanc̄ quid nō ferendū est, apud vere principem ALBERTVM, Archiepiscopū: sic humanū: sic beneficiū: ac liberalē: deinde sic erga literas ac literatos omnes affectum: Alioqui valde ista nauſeo, fastū aulicoꝝ, magnifica promissa, seſquipedales salutationes, insidiosa colloquia & inanes fumos. Præcipua tamen mihi consuetudo est, cū Stromero physico, q̄ se mira quædā dedit (vt mihi videtur) inter vtriusq; mores similitudo. Simplex est, dexter, & apertus. Odit futū, detestatur pompam, ac subinde mihi crebro inculcat quædam adagia, ipse vicissim meos (quando quidē agnouit talem) iocos cōmunicō. Nam statim ab initio vt in aulā receptus sum, perspecta hominis probitate, cōplecti cepti, ac me ille mutuo. Verum tu qd agis isthic: aut quando illud nobis, quod diu iam parturis, tandem paris: si intelligis dilatū iri conuentū, copiose scribe de multis rebis, præsertim ea, quę in erraticā illa epistola inerant retexe. Si ignoras enim nōdum accepi. Salutabis ex me Iacobū Spiegel secretarium mire denobis meritum, vna cum Stabio Mathematico, ac illi me cōmendabis, omnium qui vsq; sunt Episcoporū doctiſſ. Petro Bonomo Tergestino, cuius mihi amicitiam promissisti. Gestio vos videre. Interim tu quoq; recte vale. Maguntia, viij. Calen. Iunij. Anno post. M. ac. D. XVIII.

HVLDERICHI DE HVTTEN EQVITIS AD PRIN  
cipēs Germanos vt bellum in Turcas concorditer susci-  
pant exhortatoria.

 Vis hoc sperare ausus erat principes germani, vt si-  
mul ista caderent, summa necessitas, & optima oc-  
casio gerendi aduersum Turcas belli: fortunā ap-  
pellare licet, an nefas est, in subitos casus dei benigni-  
tatem rescire: certe em̄ respexit nos deus. Nam  
quid aliud dicam: vno eodēq; tempore cōtigat vt & bello opus  
ellet germanis, & bellū inferre Turcis necesse esset. Gratulor fœ-  
licitati nostrę, nisi quis parū fœlices putat, quibus non tantū fa-  
cile est, rē gerere longe pulcherrimā, sed & necessariū est. Adeo  
ad ingentē vrgemur gloriā. Adeo oīa quę nos circūstant, ad e-  
gregiā laudē cogunt. Pax nobis cum omnibus extra finitimis, ac  
illis secū, intus summa annonę difficultas, q̄ anno superiori ma-  
le prouenerūt fruges, male vīna. Igitur cū maxima sit cōmeatus  
inopia, & populosissima sit hoc tēpore Germania, qđ votis om-  
nibus optandū erat, vt esset foris bellū, quo istam exponeremus  
multitudinē, diuinitus accēdit, diuinitus inq; , vt bellandū contra  
Turcas, & causa esset, & necessitas esset. Iterū igit̄ dico, quis spe-  
rare hoc ausus erat: Sed ista quo optatius nobis eueniunt, eo ob-  
stinacius conandū, ne & nostrę defuisse necessitati, & occasione  
neglexisse pulcherrimā videamur. Multi egent, multi esuriunt,  
in omnibus passim vrbibus, oppidis, ac vicis ociosi vagant̄ mili-  
tes. Quę res quo vergat, ignorare non potestis, cum vix dum ex  
actō mense videritis quid illa in agro Iuliacēsi sic cōiuncta octō  
milia sibi, pposuerint. Nēpe vt collecta ad se reliqua egentū tur-  
ba (quā iam vndiq; aduocabant) in locupletū domus impetū fa-  
cerent, omnia rapinis, oīa cēdibus miscerent. Quod quia non  
cessit, & quia deus opt. max. prospexit, ne (si per vos licet) cuiq; huiusmodi posthac consilio opus sit, agite tandem fortissimi  
principes, dei vtamur beneficio. In vobis sitū est. Vos monendū.  
Vos excitādi. Paratos habetis milites etiā si creditis plures cę op<sup>o</sup>  
est. Paratū habetis ducem hunc MAXIMILIANVM Cęsarē  
qui annos iam plures, vnū hoc meditatur, vnū hoc molit̄ atq;

agit, vt furentes Turcarū impetus siltat, vt nouo ac ingenti faci-  
nore Germanicū nomen honestet. Agite audete, semper optima  
quę q; in fuga est occasio. Quę quia nunc proxime vobis adest  
& quia nisi iam iam vtamini, frustra posthac requiretis, quęso in-  
uadite, occupate, arripite, tenete. Male differi, quod ab occasiōe  
differtur. Minus periculosa oīs celeritas est, contra nunq; non  
in mora periculū. Profunde si vnq; prius, nunc maxime properā-  
dum vobis. Inconsultū est, perniciosum est, in tali tantaq; opor-  
tunitate cunctari. Ab vnīs vobis vnīuersa Christianorū salus de-  
pēdet. Vos oēs intuent̄. Vestrū omnes auxiliū orant. In vobis  
spem locant. A quibus desituti si fuerint, tum de se actū putant.  
Demum, in vestrīs situm est animis, cedant Turcę, an reliquię  
Christiani nominis pereant. Videtis quanta cum gloriā quanta  
vobis vtilitas coniuncta sit. Dum vestra defenditis, aliena serua-  
tis. Dum propriā causam agitis, interm̄ de alijs bene meremini.  
Certe enim suam vobis salutē cōmunit̄ acceptā omnes referēt  
Vos strenuos, vos fortes, vos pios, vōs orbis Christiani libera-  
tores predicabūt. Quę gloria quid potest esse magnificentius?  
quid splēdidius? atq; adeo quę honestior laus: quę nobilit̄ fa-  
ma: quod decus solidius? Ad quę bona capessenda, cum adhor-  
tari vos instituerim, & huiusmodi futura necessario sit hęc ad-  
hortatio, vt non nihil in se amaritudinis contineat, quęso ne mihi  
succensete principes. Tūm si nullā meā priuatā causam ago, nul-  
lus hominis fauorē capto, si oīa in hac oratiōe erunt necessariā  
nihil ociosum aut petulans, deniq; si ipsi agnosceitis inibi meū er-  
ga hanc patriā studiū, meā propensam in Remp. Germanā vo-  
luntatē, fas mihi sit in maximo quod nos circumstat periculo, in  
summo orbis Christiani discrimine, aliquid libere apud vos lo-  
qui, aliquid pro re ac causa dicere. Nam si tale quippiā esset hoc  
quod ago, vt vnus mihi animus cōmouendus dictione, vnus  
excitanda desidia proponeretur, nihil magnopere sollicitus esse  
vellem, quando quidē intra certos limites versarer, nec verendū  
viderē, ne infinitū esset periculū. Tūc quippe vnus aliquis, sicut  
hī offēderē, mihi irascēretur, & quantq; forte summus, homo  
tamen irascēretur. Nunc multo illa est indignatio. Quorūsum  
hęc: Quia desperavi ita posse a me dici, vt nō aliqd vobis vlcus

tangam. Ex quorū interim magnitudine erit, qualescūq; hoc eue-  
nerit, boni consulere. Et quę vstra est prudētia, cōmuni hoc po-  
tius dolori condonare, q̄ meę adscribere temeritati. Quia conce-  
pta spe, confidentius iam ago. Sed quid hoc bello queri possit,  
quanq; esset id magnū incitamentū, vt ad spē lucri vocarē, nolim  
enī huc potissimū respicere vos. Tria certe quę tuēda oīno sunt  
nisi & geritis bellū, & mox geritis, amittent. De fortunis vobis  
vestris, de dignitate, de ipsa deniq; salute certandū est. Quorū pri-  
mum illud sinegligeis, Calamitatē, Secūdū, turpitudinē, Ter-  
tium, exitium adferet. Ergo erit hoc bellū vtile, quia sic rebus ve-  
stris consulētis. Idem erit honestū, quia pro dignitate tuenda vi-  
tam exponētis. Erītq; necessariū, quod nisi geratis, vos esse non  
poteritis. Sed quia hęc omnia in vnum hoc tendūt, vt necesse sit  
hoc tempore arma contra Turcas sumere, sic fere orationē in-  
struo, vt primo ostendā, q̄ necessariū sit hoc bellū. Deinde, quo  
consilio id facile geri existimem. Et vt de periculi magnitudine,  
quod in illam vos necessitatē adigit prius dicam, potest vltū esse  
maius periculū, q̄ cū is, qui tria maxima tribus orbis partib; im-  
peria possidet, quod nobis terra mariq; inferat, bellū molitur?  
Vera est enim principes fama, quę de Turcarū apparatu nū-  
ciatur. Vera inq;. Ipse res, vt allatum ad nos, ita gestā. Tum de  
bello quod contra nos instruitur, nihil ementitum, nihil fictum.  
Illa efferata barbaries, illa principes dijs hominibusq; inimica  
gens, Selino Othomanno (quem nos quiescere putabamus) im-  
peratore, quod multis retro annis summa ope, maximo conatu  
adnixa est, nec posse credebatur, profudit se Africā subegit Aę-  
gyptum, deuicit Syriam ac Iudęā, vniuersum Sulthanū regnum  
imperio suo adiecit. Ipsum cum acie primū vicisset, deinde eti-  
am in potestatem accepisset, supplicio affecit. Res magna, res  
horrenda. Res publica consternatione audienda, & quodam a-  
deo luctu deploranda. Non quod hostis noster tot populos, &  
ipso Christiano nomini inensos subiugauit, aut quod imma-  
nis Selinus imperij sui terminos in Africam vsq; protulit, vel  
quod ille sic erga nos affectus, opulentissimarum nationum do-  
minio potit<sup>9</sup> est, & balsama metit, sed quod (o lachrymę, o plan-  
sus) sepulchrum gens impia possidet eius, qui nos cęlos pos-

fidere facit. Qua victoria tumens ac elatus hostis, simul præda  
quę omnium fidem excedit locupletatus, posteaquam imposi-  
tis præsidijs terga cōmuniuit, magna spe, magno animo, ingen-  
tibus actis delectibus, numerosissimis conscriptis copijs, bellū  
in nos quale nunquam prius, parat. Et vbi parat? non in Asia  
tam, aut in sua illic barbaria, nam quod factū ibi opus erat, mul-  
to ante, quam ad nos fama perueniret, curauit. Sed cum vniuer-  
sa nobilitate ac Imperij proceribus, Constantinopolim ad nos  
transmisit, vbi arma, equi, viri, currus, ac machinæ instruuntur.  
Atq; hæc ad bellum terra gerendum. Nam validissima, ac supra  
quam necesse est munita classis, quę paulo post Italiam inua-  
dat, Ionium mare perambulat, ac ad ipsam vsq; Siciliam & Apu-  
liam audet expacari. Altera apud Thracas conficitur, quę Grę-  
cę littora tueatur, & his quę mari possidet hostis, præsidio ma-  
neat. Hominum in armis esse feruntur ad ducenta milia, non  
contemnendi per Christum milites, non penitus derelicta virtu-  
te viri. Quos si nulla sua natura, nulla inter bellicosos homines  
assuetudo, ad fortiter aliquid agendum instigaret, vel illa tam  
speciosa, illa tam omnium seculorum memoria digna victoria  
excitaret. Illa ingens bello Sulthanico parata gloria, ad aliquid vs-  
terius egregie conandum inflammaret. Et iam incurSIONES sunt  
in Illyricum, Hostis in prospectum vsq; Hungarorum accessit.  
Ita iam non parat bellum, sed manifeste gerit. Tantum abest vt  
Turcas, quos paulo ante ignorabamus vbi nam essent, ac to-  
tam belli molem in Germaniam accipiamus. Creditis enim in  
hac fortuna quieturum, in hoc foelicitatis suę cursu cessatur-  
um, qui nullis vnquam tranquillis rebus quiescere didicit? intra  
nullam vnquam fortunam se continuit? Cui omnis odiosa re-  
missio est? Cuius ea est natura, vt in omnes occasiones intentus,  
tumultum quieti præferat, pace bellum potius ducat. Et ne pe-  
nitus ignoretis Turcas, ab antiquo genti consuetudo est, latro-  
cinijs ac rapina vitam tolerare. Quorum occasio si deesset, in-  
feras grassabatur, venationi operam dans. Nam potio-  
rem semper hominum capturam duxit. Domi in omnem li-  
bidinum ac turpitudinum foeditatem profusa, ad extremum  
ferox, efferata, crudelis, libidinosa, infida, ac truculenta,

Necq; fidem seruans, neq; foedera sancta habens, suae superstitionis ad extremū vsq; spiritū tenax, vereq; alioqui religioni hostis, sacra & prophana, fas & nephas perinde ducens. Atq; hos mores quantū nulla alia gens suos, & diu & immutatos retinuit. Septingentesimus ac septuagesimus a Christo nato annus agebatur, cum primū e Scythia pertransitis Caspijs portis, frustra obnixis Auaribus, in Asia minori malū hoc confedit. Vbi parum profectum putantes, si melioris coeli regionē nacli, regnū sibi cōmuni rent, finitima primū latrocinijs infestauerunt. Deinde vt se occasio dedit, aut libido suasis, bellū gesserunt. Quibus artibus, non ita multos intra annos, opulentissima Asiae regna suę ditionis fecerunt. Quippe Pontū, Cappadociā, Galatiā, Bithyniā, Pamphylia, Pysidiā, vtrāq; Phrygiā, Ciliciā, Cares, Lydiā, & quę circa sunt, ad oras vsq; Ionij maris, subegerunt. Interim cū Saracenis conflictati, eorū etiā religionē imbibuerunt. Ac nobilis illius Christianorū in Saracenos expeditionis procella icti, aliquādiu Hierosolymitanorū regū metu, intra sua se cōtinuerunt, donec Othomanno principe, quasi quā tor annos dissimulassent, solito maior erupit ferocia. Nihil non strenue in hunc vsq; diem, ex ea familia principib; Turcarū arma exercentibus actū. Victi tunc Thracēs, omnibus in seruitutē ciuitatibus præter Constantinopolim, & Peram deiectis. Inde Macedoniā cum vniuersam subiugassent, Græciæ inuadēde consilium ceperūt. Cuius non magno admodū negotio subactis, Thessalia, Phocide, Boetia, ac vt plurimū Attica, Mysiam inferiorē vastarunt, Illyricū ac tribalos incursionibus vexarunt, ingens Rhodijs periculū intulerunt, quibus successibus elati, magna orientalis imperij potiū dispe Constantinopolim obsederunt, atq; inde rursus Scythiarū Tamerlane principe, armis pulsi, capto, ac postq; multo ludibrio diuexatus esset, etiā occiso eorum imperatore Paizete, iterum sub Mahumete tributa Mysijs imperarunt. Inde Amuratis ductū Thessalonica debellarunt ac diripuerunt. Epyrū atq; Ethioeliam superarunt, Illyricū affligerunt. Et cum Pannonias quoq; tentassent, pugna prostrigati, decennales cum maioribus nostris inducias admiserūt. Quas cum scelerato Eugenij pontificis horratu nostri violassent, ingens sibi malum, reor Christo perfidia

suorū

suorum puniente, conciliarunt, luctuoso apud Varnā proelio, cecis (vt ferunt) Christiani sanguinis centū milibus, interq; eos Vladislao Polonoꝝ rege. Atq; hæc obiter, pauca emulsi, quę Turcę gesserūt, ad tempora vsq; Mahumetis, eius qui a magnitudine rerū a se gestarū, Magni cognomenū meruit, deprompsi. Nam Magnus omnū superiorū gloriā, bellica virtute longe superauit. Hic ille est qui breui tempore maxima confecit bella. Qui cū Asiae imperiū confirmasset, Constantinopolim summa nostra infamia, summo dedecore, alterū Christiani orbis oculū, nobis ademit. Peram in ditionē accepit. Totā prostravit Græciā, Vniuersum orientis imperiū cōcussit eiusq; & titulū & sedē occupauit. Hic ille est, qui ad ditionē coacta Mysia inferiori, superiorem quoq; capto ac interempto eius principe obtinuit. Hungaros multis ac magnis affecit cladibus. Totū Illyricū bello contriuit. Et ne quis Germaniā ab hoc intactā putet, ex prouincijs nostris depopulatus est Carniolā, E Croacia prædā abegit, Carinthiæ ac Styriæ vastitatē intulit. Nec segnius Italiā aggressus, in Apuliā classe transmisit, vnde magno captiuorū numero, simul iumentis ac pecoribus abactis, in foro Julij Venetis occurrit. Post Rhodū circūsidens, obstinatissime per totos tres menses oppugnauit. Idem Peloponeso tributa imposuit. Mytilenē expugnauit, ac Euboeam adortus Chalcidē cepit. Hic ille est, qui Trapezuntū cum debellasset, Imperio suo Pontū adiecit. Interim in oriente Sulthani copias cecidit, Arabes cōpressit. Cum Persis, Medis ac Assyrijs, strenue cōstixit. Per oīa fortis ac prope inuictus, & oīno talis, qualē Selinus autē velit. Qui cum iuuenis res iam tantas gesserit, vt terrore nominis sui totū orientem percussum habeat, Italiā quasi obsidione cinxisset, ita metu premat, Hungaris terrore incussit, omnibus vastitatē ac excidium minari audeat, quid acturū putatis, vbi simul cū annis animi quoq; robur, consiliū ac rerū gerendarū prudentia creuerit? Aut quid de eo expectare licet, qui cū adhuc incognitū eius apud has nationes nomen esset, eorū cōpos factus est, quę vix vllima iores sui sperare ausi sunt? Atq; hæc talis, tam ferox, tam immanis, tam impetuosa belua, concitata furore, inflammata rabie, expeditionē in nos ducit, ac ita ducit, vt apparatis ad bellū oibus,

B

prope adsit. Quot diebus enim sit terra velit, e Myfia ad nostras in Illyrico prouincias accedet. Aut si mari, e Grecia Brundisium. Proinde o principes cum in propinquo habeamus hostem, validissimis instructum copijs, & cui oia bello necessaria ad superfluitatem vsq; suppetunt, qui milites ducit, non Astatica eneruatos molitiae, sed iugi (mihi credite) induratos militia, non per immodicum voluptatis usum languentes corporibus, sed assidue bellando confirmatos animis, non domesticę luxurię desiderio respicientes ad patriam, sed glorię cupiditate, nostram accelerantes victoriam, qui splendidissimorum conscius sibi facinorum, deinde ditissimarum nationum auctus spolijs, esurientissimus glorię iuuenis, animos sustulit, & successu prioris fortunę inflatus, omnia amplissima sibi proponit, hunc talē inq; hostem cum in propinquo habeamus, ita ut nullo iam mari, nec ita longo terrarum interuallo discretum a nobis bellum sit, non ad resistendum vos accingetis. Non implorantes auxilium vestrum christianos omnes audietis. Non in summo rerum discrimine vos excitabitur. Deniq; non defendendę saltem Germanię consilium capitis. Quam vos ista dedecet quies, ne dicam desidia. Et dico desidia. Quid enim vel domi agimus interrim strenue. Atq; igitur sic puto, magis ista dedecet vos desidia qm Hercule muliebri vestimentum. Id est qm bellatorum virum, colus & lana. Quocirca quia prope periculum est, & ingentis adipiscendę glorię in promptu occasio, exurgite, exurgite. Nunq; recitatus moniti estis ut Germanos vos esse meminisse velitis. Iam nulla de nobis bona apud externos opinio est, vestra culpa. Desidetis enim ac inglorij per otium torpetis, nec nostris vtimini viribus. Nam quid aliquis admirat, nulla de nobis preclarā peregre famam diuagari: ferrum quoq; & aes nisi exerceas, splendorem perdunt, ac rubiginem induunt. At gerite bellum, & nos exerceate, statim vetus reuigebit gloria statim Germana reclarescet virtus, non minus quam sulco attritus vomer splendet. Et hoc vnum est consilium, quo possitis sinistram de vobis opinionem abolere, ac veteris ignauię dedecus, nouę virtutis gloria compensare. Fertis enim illam adhuc Germanię labem inuri, illam imprimi ignominiam, ut non ausa resistere Turcis credatur. Vultis illud ma-

iorum vestrorum, virtute partum imperium deserere. Imo vero mauultis o principes seruire Turcis, quam mundo imperare. vultis vltro iugum, cum depellere facile possitis, vobis accersere. Quam sunt omnia turpitudinis, omnia dedecorum plena. Et quam nisi respicamus nihil est in Germania Germanum, Nostris maiores, ut ab antiquissimo repetam, omnium virtutum opinione commendatos orbem terrarum olim Romanos, non sustinuerunt. Et externum hic imperium adeo prohibere conati sunt ut vltima omnia experiri vellent prius, quam Romanum haberent dominum. Idq; effecerunt. Vos Turcas a spurcissima omnis barbarię colluione proflata gentem, & quę ad vos non ut imperet, sed ut occidat, venit, infensos religioni, ac nomini Christiano plusquam credi possit, inimicos, feretis reges. Quęso vos agnoscite, & quam in tanto periculo, tot se vltro offerentibus occasionibus, non deceat Germanos occidi, cogitate. Quamquam ut nullum tantum sit periculum, nec vos vrgeat quicquid, tamen quam sit proprium hoc Germanis, semper aliquid pulchre conari, semper ad aliquam respicere laudem, aliquod velle decus parare, in mentem reuocate. Tum imperij huius quam esse vobis curam conueniat. Potest enim ita vestrum aliquis odisse gloriam, ut augeatur an minuat imperium, iuxta aestimet. Plane Germani estis, atq; ut huius temporis non sit, vim ac iniuriam hostium a vobis arcere, perpetuo tamen glorię studium colere debetis. At necessitas etiā gerendę rei incumbit. Summa imperij agitur. Costernata metu Italia est. Per Hungariā paup ingens. Nobis vastitas, nobis exitum imminet. Vultis his in casibus quicquid agere potius, quam celerrime exercitus conscribere. Arma, viros, ac equos, deniq; quorum vsus est ad bellum, quaerere. Et prius omnia parata habere, quam ille vos repentinus turbo impetat. Illa in vos omni cogitatione velocior procella ruat: ac videte ne quos alijs auxilium ferre piguit, hinc nimis tarde imperij huius reliquias conseruandi, ac tuendę Germanię consilium ineatis. Nam quę sunt vsquam munitiones, per quas ille sic paratus, sic accinctus hostis, si hodie velit non irrumpat. Aut quę parata praesidia, quibus si irruperit expellatur.

Et facessant hic mihi quidam ex infimis vestris consultoribus, quasdam sylvas, quosdam commemorare montes, quasdam paludes Ignauorum sunt ista, non fortium, fugam meditantium, non pugnam, Latronum, non bellatorum. Quibus ego, quandoquidem oino sunt, quibus ista insedit turpitudine, meliorem a dijs immortalibus mentem, aut si huius capaces non sunt, aliquam precor subitam mortem ne superstit, cuius ignaui consilio res nobis pulcherrima interuertatur, ac ista huic nationi succrescat infamia, ut aliud maluisse dicamur quam bellum, & repente bellum, ac aperte bellum. Proinde desinant quidam, si sic cadat, fugam sibi prospicere. Desinant ista cogitare laetabula. Eadem mala, & qui pugnabunt, & qui fugiant, proposita sibi maminerint, non eadem bona. Quamquam non eadem etiam mala. Nam ut illos sua semper gloria excipiet, etiam salus, si nos respexerit deus, Ita hos ignominia, dedecus et infamia prosequetur, viuos ac mortuos, & quicumque euentus fuerit, duriora omnia, turpiora ac foeda magis. Certe magnam misericordiam partem auferet illa virtutis recordatio. Neque deerit forti cuiquam, si ceciderit, quose consoletur. Nam & restituisse, & pugnasse, & pro patria pugnasse, & non succubuisse, nec ullam tulisse indignitatem, etiam aliquid forte dignum memoria, dignum laude commisitisse, ac quantum in se fuerit superasse gaudebit, ut quod accuset, preter fortunam nihil habeat. Semper enim strennue pugnanti, ut incertus proponitur exitus, ita quicumque acciderit, certa virtutis existimatio, ac propria quedam & peculiaris gloria. Cum interea desertor ille, nullius sibi boni consilij, nullius dari facinoris conscius, simile quiddam patietur his, qui quod ipsi ultro abiecerunt, magno alij viti esse vident. Tum illud credo Turcis, quales quales sunt, communitate nobiscum esse, ut sicut propensior est in strennuos misericordiam, ita districtius in timidos odium alant. Quorsum haec: ut preposteris illos consultores a vobis ablegetis nedum, non audiatis ac sequamini. Nihil Germanitatis istiusmodi suasiones sapient. Idcirco cum suis authoribus extremum contemnende. Quid enim fertis eos qui dedecus proponunt, & ad infamiam ducunt? Quin arma sumitis & populum Christianum metu ac periculo liberum redditis. Iam huic succurrere morbo, hoc extinguere incendium licet. Sinite ulterius grassari, frustra medicinam adhibueritis

frustra valenti malo vos opposueritis. Summum in mora periculum, manifesta in cunctatione pernicies. Atque ista, si quid infeliciter cadat, quamto nobis, quam alij durior condicio est? Siquidem a Gallis aurum sperat Turca, sperat a Dalmatis, Hungaris, & Illyrico, a Germanis non sperat. Idem magnas Italiae opes ac soli fertilitatem inhiat, horridum Germaniae coelum refugit. Vbiuis potior illi quam hic lucra di spes. Atque igitur durius habebit eos victor ille, qui se minoris rediment. Sane prede vbertas victoris iram lenit, qui tanto minus occidet, quanto spolioz amplius consequi licebit. Satiabunt haec hostile auaritia, & quorum pecuniam abstulerit, facile vitam sinet. Nostri quid aliud petit, quam vitam, quam sanguinem? Adde hoc, quod non illi minus quam terrarum orbis persuasum est, bellicosissimum esse hanc nationem, gentem indomitam, inuincibilem. Nolit igitur superesse quos timeat. Nolit viuere, a quibus sibi metus sit. Nolit pernicie imperij sui incolumem esse. Voleat hunc erutum periculoz suorum fontem. Voleat hanc extirpatam calamitatum suarum radicem. Et vbi se melius quod deus auertat occidere in nobis ceperit, non cessabit, donec vsque suppetet cedi materia. Non patietur remanere malorum suorum semen. Auferet omne timoris sui fomentum. Extinctum vobis let a quo, si maneat, metum sibi futurum sentit. Quam obrem, ut prius monui, non sic putate illum venire ad nos ut imperet, venit, venit principes ut occidat, ut iugulet, ut interficiat, ut excarnificet, et ex nostro interitu voluptatem capiat, quandoquidem ex victoria fructum non sperat. Venit, ut nos pessundet, nostras vxores ludibrio habeat, nostros liberos strangulet. Venit prohi Christe, ut totum penitus Germanicum genus extinguat ac deleat. Ille principes ille, qui non pueris, non senibus, non mulieribus, qui parcat. Natum ante ora patris, patrem qui obruncat ad aras. Qui sepius palis infantum corpora suffigit. Qui e pregnantium matrum vteris, nondum natos excindit foetus. Qui in omnes omnis sexus ac etatis, nouissimum crudelitatis exemplo grassatur. An vobis excidit qualis illa fuerit Constantinopolitana dades? misera captiuitas? luctuosum exitum? Et non adhuc recordamini multarum in Europa ciuitatum, quas partim nostra, partim adhuc patrum nostrorum memoria debellauit hostis? Ne vero ex illa Sulthanici belli fama aliquid

putate fictum. Nihil vera sunt omnia. Quaedam etiam veriora quam in nostram cadit fides. Nimirum, qui quod dubitari non potest quam sit pudendum, Turcas tandem tot nos cladibus afficientes, non nouimus, nedum quae gerant magnificimus. Quibus dum hic oiciamur omnia foris incognita sunt. Qui dum omnem domi aetate agimus, ubique Germanos esse arbitramur. Quorum ciuilitati ac mansuetudini, illa penitus ignorat barbara feritas. At ille sic natus est, sic alius ac educatus, sic allueuit, ut occidat, ut torqueat, ut supplicio afficiat, Semper humanum sitiens sanguinem, semper cedens ac tortore famelicus. Qui ut manifestius habeatis qualis sit, & quam non possint per naturam, si velint, misereri Turcae, domi inuicem ordiuntur cedem, frater fratrem, ac fratris aut sororis prole interimit, filij patres, rursumque patres filios obruncant. Breuiter, patrium illis est, ne quos sui sanguinis superstites habeat. Instituit est enim Turcarum, ut cui regnare contigit, omnem in uniuersum debeat propinquitate. Ut rectissime senferit, qui dixit, foelicus apud Turcas seruum quam regem nasci. Igitur, cui parcat, qui suo non parcat sanguini, aut quem seruatum ex hostibus uellet, qui suae domi, ex suo genere ferre neminem potest. Denique vlli suspicio est, mitere fore eum victorem, cui cum ingenuum est acerrimum aduersus Christianos odium, tum vel maxime studet eos perdere, a quibus pernicem ipse sibi prospicit. Adeo omnia nobis a Turcis infensa & atrociam iminent. Neque ego sine nisi me non auditis, vllam putare vos humanitatis aut dexteritatis in hoc portento micam residere. Ita ut si vincat (vincet autem dubio procul, sic expeditus, sic paratus, & exercitus, nisi vos celerrime in medium consulitis) actum de nobis, actum de imperio, actum principes de religione putent. Quare vos per uelint integra adhuc re quid fieri oporteat decernere. Altera periculi pars intra Germaniam nobis obuersatur, magnam & ipsam malum. Quod cum manifestius sit, quam ut oratione explicari velit, paucis tactum mittam, si vos prius monuero, ut illam tertio ab hinc anno apud Vuyrtenbergenses ortam coniurationem, in memoriam reuocetis, Quae cum ex eadem causa, qua nunc quorundam animi incitantur prouenerit, ac unius non ita magni territorij fuerit, & tamen ingentem oibus metum pepererit, quid futurum putatis, si (quod deus prohibeat) egentes isti, quae permagna undique turba est, rerum pe-

nuriam conquirentes, non esse bellum clamantes, uestra principes desideria accusantes, rerum gubernacula contumeliose criminantes, inconsulta plebs, furiosa multitudo, insanum vulgus, si tales inquam, ista ex causa, sic incitati, ad aliquam coniunctionem, illud, quod diu iam agitant, consilium perduxerint, quam cladem, quas strages, quam vastitatem presumere licet. Profecto non cum solis Turcis bellum nobis est. Quamquam si vos uultis, cum solis. Nam quod nos hic uideget periculum, si hostibus obuestamus, omnem semel metum, omnem delicti criminis suspicionem e medio sustulerimus. Quae cum ita sint, ac vos abunde intellexisse putem, quam sit necessarium hoc bellum, quam constantium. Deinde quales gerendi occasiones. Nunc in id intendite quod secundo loco proposui, quo consilio rem pulcherrimam agredi liceat. Quod sit remouendum obstaculum. Quam e medio tollere oporteat difficultatem. Denique ad hanc expeditionem quid regatur. Et quomodo quidem possit hoc bellum facile geri, duabus praesertim in rebus uersatur, Communi concordia, & ut unanimitate imperatori pareat Germania. Nam quod tertio loco querat aliquis, unde comitatus suppetat, minus sollicite ago, certum si haec duo, quandoquidem ea maxime a uobis desiderant, praesertim tunc, non defuturum in alijs consilium. Quo sic habente, Considerate oro ac perpendite, quam nullo negotio, quantis bonis fundamenta iacere liceat. Qualia sunt enim illa quae uos dissidere faciunt. Nonne qui uestrum maxime iniuria se affectos uolunt, aliquid de finibus sibi suis detractum querunt. Atque hac fere causa potior ac maior nulla est. Reliquae uiles, contemnendae, & quae nihil momenti habeant, quod in magni uiri animam cadere dignum sit. Nimirum intus ambitione uos ab amicitia, ac mutua charitate abstrahente. Nam ut ista praecleara dicatis, ac ferro & igni persequenda putetis, quod aliquis praetextit ius sibi suum detractum, in suam ditionem concessum. Quod alius arguit temere se rebus immiscesse alienis, alius turbatas sibi possessiones clamat, pullatam uillicum, ac hominum uim illatam quam nisi uicisci ipse uero cupiat, ille ne querat quidem, ut inquam huiusmodi praecleara sint, & ob ea uindicanda eorum lumen terrae uos miscere conueniat, haec quomodo ferentur diuitius, ob praereptum inanem titulum, ob superiorem petatum in confessum locum, ob aliquod arrogantius prolatum uerbum, ob eam

quæ ex stematū iactatione oritur offensionē, oīa ferociter agit  
 oīa hostiliter: oīa crudeliter: Audite me igit̄ non inutiliter mo-  
 nentē, nec penitus ignarū, de vobis Germaniæ vulgus quid senti-  
 at, quando quidē audio quid loquat̄. Sic passim aiūt, Ferre pos-  
 sumus vt nobis imperent isti, vt nos cōminuant, vt destruant, fer-  
 re non poterimus. Aliquādo quosdā petemus fontes, vnde ista  
 emanant exitia, Aliquando contra morbida capita, vnde isti de-  
 scendunt pestilentes morbi, vi ac violentia insurgemus. Quando  
 quidē pereundū est, mali solatiū erit, vna cum his qui perditōis  
 causa fuerunt, perire. Hæc illi quidē loquunt̄, ac vercor ne qui  
 sint, qui iam facere quoq; si possint, velint, qui in vos durius cō-  
 sulant, qui ad vltima adspirēt. Quāobrē tempus est principes, in-  
 ternas cōponere lites, ac penitus extinguere, & cōtra Turcas hæc  
 animaduersa occasione, alacriter nos inuadentes aliquid aggredi.  
 Tempus est in quā, cōcorditer mutua nos ope tueri, ac imminen-  
 tem nobis perniciē propulsare, ne ad extremā acti necessitatem,  
 nō iam quo eamus, sed quō maneamus querere oporteat. Id est  
 non consulere quē aliquē bello impetamus, sed quē admodū mi-  
 sere afflicti, ac ad vltima coacti, salutē inueniamus. In summa,  
 tempus est aduersus eum, qui postq; maximā imperij partē no-  
 bis ademittit, nunc vitā petit, ac vniuersę Germaniæ excidiū molit̄ur,  
 experiri, facile hoc fiet, si voletis. Ac nisi hæc sint impedimen-  
 ta, nostro etiā cōmodo, nostra laude, ac gloria fiet. Cum possitis  
 igit̄ minimo negotio maxime vobis, maxime omnibus prodesse  
 quæso in cōmunē redite pacē, ac istam tot bona secū afferentē  
 concordia amplecti imini. Quæ vt cognoscatis, q̄ vos deceat, cre-  
 do mecū sentitis, nusq; magis cōuenire tranquillitatē esse, ac mu-  
 tuam vigere dilectionē, q̄ inter affines & cognatos primū, dein  
 de ciues etiā & populares. At tota Germania, vt neq; ciuitatē in-  
 tueamini, neq; popularitatis respectu ab illis pestilentibus discor-  
 dijs abducamini, q̄ lata est, q̄ ampla, ac populosa, vna quedam  
 semper affinitas fuit, vna cognatio. Sic cōpertū est enim indige-  
 tes esse Germanos, nec vllā aliquando exterarū nationū, mutan-  
 di domicilij causa, huc immigrasse. Et sunt qui ab hoc Germa-  
 niæ nomē a latinis inditū putēt, vt Germani quasi fratres dicant̄.  
 Quicquid est, vnanimi inter historicos sensu conuenit, semper  
 hanc

hanc nationē sibi constituisse, ac ab se pependisse, ex seq; propas-  
 gatam, neq; vnq; exterarū gentiū permixtione infectā. Quæ pu-  
 ritas, quæ germanitas, apud nullos, qui quidē cogniti sunt, pos-  
 pulos, ita cōseruata est vt nō aliquādo res simul ac homines mu-  
 tarent. Cui rei documento esse possunt, finitimi maxime nostri.  
 In Pannonias transferunt Hunni, & Scythę. In Sarmatiā Getę  
 & Daci. Ex nostris vero, vt nunc, hominū olim multitudine, ter-  
 rę fecunditatē superante, migrauerūt aliqui in Gallias, & mul-  
 ti ac sepe migrauerunt, alij obinuerunt Hispaniarū partē. Lan-  
 gobardi nostrū & ipsi genus, non pessimā Italię portionē, pul-  
 sis qui incolebant, habitandā acceperunt. Saxones & Scotti Bri-  
 tanniā, Vindelyci, Sueui, & Norici, quicquid iuxta Athesim ad  
 Tridentū vsq; est. Tum maiorē Illyrici partē, & quæ in illis Al-  
 pibus incoli poterant. Præterea in Italiam transferunt Cręci &  
 Galli, rursumq; in Gręciā Galli. In septentrione vero, quantum ter-  
 rarum in ipsam vsq; Scythiā nobis accreuit, ac a nostris incolē  
 hominibus? Tam varie in propinquo mutantibus se rebus, vna  
 hæc natio, q̄lis ab initio fuit, ita mansit, vt hodie vltimus quisq;  
 ad primū aliquē referre possit suā, si velit, originē. Nunq; enim  
 apud nos confederunt exteri. Nunq; alicuius nationis huc semi-  
 nuit superfluitas. Verū vt obtinuimus, ne quis nobis extern⁹ im-  
 peraret, ita factum ne qua aliunde iactata gens, hic sedes figeret,  
 hic domiciliū locaret. Adeo, vt perraro etiā externa sibi cōnubia  
 maiores vestri principes, quo ne illa vitiares Germanitas, admise-  
 rint. Quæ cum proposita vobis habeatis, operā non dabit, vt  
 qui hanc rerū primordio coniunctionē in hoc vsq; tempus de-  
 duxistis, semper ciues, semper populares, imo semper cognati,  
 semper fratres, domesticę concordie presidio, non solū ab exte-  
 ris tuti, sed orbi etiā terrarū formidabiles, sitis? Aut siquid ante  
 hæc erratū est, quod mutari non potest, cōpensari potest, ac resar-  
 ciri, nunc in magna rerū necessitate, non omnibus depositis pas-  
 sim simultatibus, offensis, ac inimicitijs, vnanimi consensu Tur-  
 cis (qui si hæc desit, quā ex vestra dissensione operiunt, cecaso,  
 frustra in nos impetū fecerint) obsistetis? Sed vt nulli sint Turcę  
 vt nullus aliunde metus, tamen ipsi Germanię opus est concor-  
 dia principū. Quā nisi statim obtinuerit, suis ipsa peritura virib⁹

est. Atq; hoc quis non sentit, qui modo videt, vestrū quotidie ali-  
quos triuolis ex causis, mutuas incursiones facere: pecora abige-  
re: villas ac vicos exurere: agros populari: segetes obterere: fini-  
tima queq; valta reddere: Iam etiā vrbes obsidere ac expugnare  
& quasi Turcarū regiā ceperint, sic intra Germaniæ nonnuncq;  
oppida igni ac ferro grassari: Nec a me tamē dici ista, quasi oēs  
vos traham in hanc culpā putetis, aut de oibus sit hęc fama. Id  
quod semel prefatū esse satis volo. Omnino sunt qui hęc faciāt  
aliqui, Et qui (sed venia dicto sit) discordijs ac seditiōibus, miro  
studio & apposita diligentia dant operā. Qui rapiunt, ac diripi-  
unt. Per quos fit, vt, quod iste Maximilianus summo conatu p-  
hibere studet, ne vnq; latrocinijs non abundet Germania, vt de-  
uastetur patria ac cōtinuat. Vt tranquillū sit hic nihil, oīa tur-  
bis ac tumultibus plena, Quā indignitatē si qui exteri inueherēt,  
parati essemus atrociter vlcisci. Nūc cum his authoribus destru-  
amur, quibus defensoribus tutos esse oportuit, cōtinemus nos  
quidē, sed tamen nonnihil sepe per impatientiā mullitant, qui-  
bus liberior est natura. Atq; aliquem nonnuncq; exclamare audia-  
mus, Istud vero est ouli lupos p̄fici, capro vineā, capro hor-  
tos cōmitti. Quosdā his atrociora. Quæ cum eo tendant, vt nisi  
si vos istū emendetis statū, a vestris vobis periculū sit, desinite tan-  
dem inuicem vos collidere. Desinite nihili cōtentionibus Germa-  
niam perdere. Atq; hinc nisi me auditis, vos inq; qui hæc facitis,  
nisi me auditis, vereor ne aliquid se indignum videat hæc natio.  
Sed audite que so, ac in viam redite. Et nisi mox oīa vobiscū rite  
re vultis, aliquando, reip. oculos ac manus admouete. Nā vbi  
(quod deus prohibeat) in illā vulgi secessionē res inciderit discri-  
men non erit, nec ratio habebit, quantū quisq; aut omnino q̄s  
nocuerit, vel in quē experienda vltio sit. Cum nocentibus inno-  
centes petentur, & nullius habita ratione, per insaniā passim seui-  
etur. Id quod cauere vos oportet, ac in publicū consulere, & ad  
in gratiā reditū hortari, ac inuicē aliquid cōcedere. Quod si adeo  
necesse non esset etiā, magna tū cū oim vilitate, vestra laude fie-  
ret. Quid ni: Cum nefas sit rem priuatā publica potiorē ducere  
ac vestra dissidia huiusmodi sint, vt domestica cuiusq; aut inanē  
etiā ambitionē referant, interim quicquid ex quauis parte perit,

publico pereat, quicquid vni detrahitur, omnib; detrahatur, Ita  
eritis inuidia excæcati, ira immutati, ambitione peruersi, aut ita  
laudis ac bonę opinionis contemptores eritis, vt non aliquando  
sentiat quid vos deceat: Et decet vos ob publicā vtilitatem, ob  
cōmune bonū, domesticas deponere similitates, oēm inter vos  
abijcere offensarū recordationē, nulli suā inuidere fortunā, inte-  
stinā pacē accersere, publicā concordiā amplecti, multa inuicē  
condonare, multa remittere. Videtis eos qui multa alijs cōcedūt  
etiam de suo, & qui nonnuncq; prece ac precio pacē emunt, plus  
rimū interim augeri, plurimū discescere. Hoc exemplo, vt publi-  
cis consultū sit priuata cōtēnente. Quancq; quo consilio, sua cui-  
usq; magis florebunt, magis aucta ac amplificata erūt, q̄ si pub-  
licis studeatis omnes: Nonne vestrū nemo est, qui alij noceat, q̄  
sibi prius ipse nocuerit: Ita nihil fructus cū habeant vestre cōtē-  
tiones, plurimū calamitatis ac miseriæ afferunt, nonnuncq; plus  
his, qui contumacius bello student. Si igitur non solum non ac-  
crescit inde vobis aliquid, sed decrescit etiā nimū, & si, quod Ger-  
mania perit, omnis in vos culpa rejiciur, quæ so tandē respici-  
te. Vnius arboris rami estis, vnius corporis membra. Patiāmini  
nobis stipitē concutientibus se inuicē ramis sito nudari honore  
suis priuari fructibus: Probabit si in egregio corpore mutuo  
conflictu intereant membra: Quid aliud sibi enim vult istud ves-  
trum dissidiū, q̄ si manus manui, pes pedi, aut caput ventri bel-  
lum indicat, vel in illa arbore, si ramus ramū inuadat ac abrum-  
pat, vt arbor truncus sit, & corpus cadauer: Que so illius memē  
tote Menenij Agrippe Romani, beneficio historicorū non inco-  
gnitū vobis Apologi. Dixi iam semel ac iterū, quod vni vestrū au-  
fertur, omnibus auferatur. Singulorum malum, commune ma-  
lum est. Proinde vt audacius loquar, desinite inutiliter disceptan-  
tes publicum minuere bonum. Desinite inter vos rixantes vexa-  
re Germaniam, perniciem inferre patriæ. In summa desinite in  
causa esse vt pereant Christiani. Iam hoc nisi facitis, nisi huic pa-  
retis monitioni (neq; enim meo nomine dico, vno ista omnium  
Germanorum ad vos clamore perferri credite) nisi nos quo-  
rum membrorum capita estis affligere ac perdere desinitis (dico

venia vt prius vestra, & illis dico, qui huiusmodi factorum cōscij sibi sunt) videbitis contra suū aliquando caput quāsdā manus, quosdā insurgere pedes. Et tunc vos quidē tanti mali auctores, quod excitatis, vestra ruina aletis incēditū, ac simul ipsi cōflagra bitis. Vnā hīc aures vestras, nescio, quā iam olim cēra, quo bis tumine obthuratas, pio hortatu penetrē. Fortissimi viri, nobilissimi principes, ne intereat Germania, ac in ipsa vos Germania, ne res Christiana funditus ruat, ac ei vos ruine causam pręstetis, quęso deponite similitates istas, quę vos publico iuoluit odio. Istas coercete iras, quę furoris causa vulgo sunt. Ambitionem constringite, quę in cōmune expaciāt malū. Compescite intestina bella, ac istos intra patriā ne alite tumultus. Aut si libet bellū gerere, & quiescere non libet, si animus irasci, litigare, p̄celiari, tumultuare, atq; adeo insanire si animus gestit, causa est, occasio est, vt honestissime possitis, vt vestro, vt cōmuni totius patrię, vt oīm Christianorū cōmodo, illam irarū ac similitatū tot iam annos confluentē in vos lemā, eluatis. Foras enim ista euomere conuenit. Quod nisi facitis, & intra vos grassandi finem facitis, non feret populus Germanus, qui sic imminuit, sic affligitur, sic pellundatur. Non feret inquā, sed vult suū incōmodū, quandoquidē hinc prodijt, vestro refarcire malo, & timeo ne maximo malo. At fingite mitius cōsulturā inconsultā plebē, ac si qua in vos cōiuratio moueat, si quis tumultus insurgat, fore, vt ad conditiones adigamini, fore, vt quędā quibusdā morbis medellę apponantur. Tamen amarulentū erit hoc remediū, mordax & doloris plena medicina. Quando igit̄ per vosmetipsos conualescere vobis licet, ac secū habet quisq; medicinā, vt non opus sit aliunde cū dolore aut molestia accipere, vt consultū sit vobis, in publicū consulite. Vt vos seruetis, nostri curam agite. Maxime vos petet, ac acerbissime feriet, vnde, vnde illa ruat tempestas, illa decidat procella. Quod si nullo publico malo vestra essent dissidia, tamen quia turpe est, inter Germanos externo lacessitos bello, ciuiles esse discordias, intestinos excitari ac alii tumultū, ne cōmittite, vt a vobis publica prodijisse turpitudine putetur. Nam si turpia sunt hęc, quacūq; ex causa, aut cuius cuius viaio proueniānt, quanto turpiora censenda sunt, vbi a Germanię principa

tu, atq; a nobili illius splendidū corporis capite, q̄ si aliunde descendant: Nullus magis deformat, q̄ qui faciē inuasit morbus. Ne mihi irascimini, ne molestius ferite, sed ciuilitate accipite, in vobis quę insunt vitia, maxime nos dedecent, quandoquidē isto censetur capite, ab hac spectamur faciē. Ergo igit̄ respiscite, ac ne omnes pereamus, vos seruetis. Conualescite capita, ne omnia vniuersim cōmoriānt membra, ac illud ne intereat corpus. Vos boni ac mali omnis fontes & origo, alio iram, alio discordiam, ac lites, in nos pacē spargite. In nos quietē ac mutuā dilectionē emittite. Donec enim istis vitij operā datis, omnes sibi licere putabunt, vim inferre, iniuriā pulsare, aliena rapere. Atq; hinc mutę direptiones, latrocinia, cedes & o patria nihil in Germania fidum, nihil tutū. Vbi locus est ad quendā quasi priuatū malū vestra venia, dolore descendere. Male audimus a quibusdā equites Germani, in raptos exclamantibus. Non patrocina bor crimini, a quo longissime semper abfui, a quo abhorruī, quod de restor, illos tamen, qui qui sunt non patiar alijs molestos esse, & festuca quęst onē mouere, priusq; de criminis causa, & illa in oculo suo trabe pertractatū fuerit. Quid dicā? Multis certe verbis hęc agenda causa erat, sed dicam breuiter. Quia ex principibus sunt, qui rapiunt quidā (quo alio enim verbo vtar in retali) qui rapiunt inquā, atq; in illis nos exercent rapinis, & quia in aliorum inuidia, alij ad latrocinia cōnuent ac alunt ipsi latrones, deinde quia non gerit bellū foris, vt sit quo semulti egentes sustineant, quoniamq; nonnunq; nobis quoq; per vim auferunt potentiores, quoniam ista inq; fiunt, & docemur & cogimur latrocinari. Atq; iccirco minus erramus nos, q̄ exemplo erramus. E vobis istiusmodi causa malis prouenit, huic incendio fomentū suppetit. Quod si detraxeritis, omnia confestim sana erunt, oīa integra. Penes vos est, salua oīa veltis, an perditū ipsos vos ire iuuat. Sed quis perditioni modus? Quin reditis in cōmunē gratiā, ne frustra ille monuerit, qui dixit, Concordia paruas res crescere, discordia magnas facile dilabi. Non hęc sunt vobis irarū causa, quę non vel vno quopiā amico colloquio tolli possint. Quędam vt dixi inanis ambitio est, quę vos dirimit. Cui quęso vel ad tempus resilitite. Magni est animi, imperare affectibus, ac ratū

nis ductu agi, nec ferri cupiditatum raptu. Erigite vos, ac altius  
 rem intraspicite. Nihil tale inuenietis, si vel ex voto illi ambitioni  
 respondeat deus, aut fortuna, quod cum huius concordia bo-  
 no conferendū sit. Dixi vnus corporis membra esse vos. Date  
 operam singuli, ne quid a quouis morbi in vniuersum proficisc-  
 catur. Atq; ibi ambitiosos esse vos maxime velim. Quid salubri-  
 us enim huic imperio, id est corpori nostro, q̄ si vos vt principa-  
 lia membra, circa cōmunis salutis curā ad emulationē vsq; con-  
 tendatis? Et faxit deus opt. max. vt isto vos aliquando teneri stu-  
 dio videā. Tunc sanescunt enim quibus vos morbū induxistis.  
 Tunc ista sibi constabit Resp. Videtis humanū corpus vt labo-  
 ret, nisi quodq; membrū suū faciat officii? Sic in imperio est,  
 cuius vos consiliū ac senatus estis, qui nisi recte consulatis, iam  
 ista soluetur compago, ad quam conseruandā, opus est summa  
 coniunctione, quam, oro, omnes appetite, omnes accipite. Hu-  
 mani quoq; habitudo corporis ex rebus constat maxime discor-  
 dias, sed quę coniunctionē patiuntur. Qualis enim temperatu-  
 ra ex humido & sicco? Rursusq; frigidū & calidum q̄ apte ibi  
 conuenerunt? Atq; hoc natura dedit, quā quia bestię quoq; ra-  
 tionis inopes sequuntur ducē, agite aliquid hominibus dignū,  
 nedum principibus, vsurpate. Vel in odiū Turcarū, quibus ista  
 dissensio vsui maxime est, conuenire vos iuuerit. Profecto enim  
 vt dissidentibus vobis magno illi fruatur cōmodo, ita non igno-  
 rant quid se consequant, si quando vos deus aliquis coniunxerit.  
 Quam apte igitur in hos contulerimus, hanc concertationē hos  
 tumultus. Atq; ita nos Christus amet, vt hoc consilio, totā illam  
 barbarorū colluionē pessum dederimus. Nam si me auditis,  
 neq; contemni a vobis Turcas volo, neq; timeri, conscius mihi  
 quid possit Germania, si velit experiri, ac viribus vti suis. Sed  
 opus est sobrietate. Opus est consilio. Opus assiduitate. Totiā  
 annos contra Turcas mouemus, sed quia nullo consilio, nulla  
 ratione, nusq; promouemus. Quippe dum nos cruces suffigi-  
 mus, ac virium bello sumptus colligimus, dum exercitū param-  
 dum ambitiose, quis terra mariq; copias ducit, querimus, dū  
 in medijs illis consultationibus ad priuatas contentiones, ac do-  
 mesticas discordias, & illas friuolas descendimus lites, interea

hostis fretus consilio opibusq; suis, nostra vero vsus desidia, ex  
 Asia in Europā, iam ex vtraq; in Africam transt. Sed bene agū  
 Salua nobis res est. Consistet enim. Iamq; tot rite peractis quies-  
 cet. O consiliū. O prouidentia. Non quiescet, odit enim tran-  
 quilla omnia. Non consistet, nulla enim fortuna contentus est.  
 Non fert ocium illa natura, non fert pacem. Si ferre posset, ante  
 tulisset, quando non erant tot opprimendi nos occasiones. Iam  
 certum illi est, intestinis nos distractos tumultibus inuadere. Iā  
 sperat totā in nobis absoluere Tragediā, ac pulcherrimis ceptis  
 & iam vltra medium quoq; perductis, colophonē imponere,  
 ac omne tandem absoluere negotiū. Nisi adhuc dubitatis, quos  
 spiritus agat, ille tot nationum victor iuuenis, tam numerosis co-  
 pijs, tanto auro, tam paratis omnibus contra nos instructus.  
 Sed vt ille magnifice omnia, quędam etiam non prouidentissimē  
 sibi proponit, ita si per vos licet, statim omne a nobis periculum  
 depellemus. Magno fateor negotio euellitur annoſa arbor, &  
 quę iam altissime stas fixit radices, Euellitur tamen. Sic Turcę  
 quanquam latissime imperant, ac in omnes necessitates abunde  
 instructam exercitum ducunt, vincibiles tamen sunt. Et nisi me  
 omnia fallant, non difficulter etiam, modo concordēs eamus,  
 modo inter nos haud disceptemus. Id quod in vobis quia situm  
 est, prestate, nec victoriam impeditē principes pulcherrimam,  
 fructuosissimam, sanctissimam, Vestra potissimum causa agi-  
 tur vestra existimatio, vestra dignitas, quam quęso defendite ac  
 conseruate. Nemo fortis dignitatem nisi cum vita simul amittit.  
 Et videtis vulgo infames, qui existimationē neglexisse deprehen-  
 si sunt. Quę vestra fortuna est, prospicere debetis, ne quid in  
 vos sinisterumoris congruat. Et prospicite o principes, Remitte-  
 tite iniurias, condonate offensas. Preſtet publica utilitas  
 priuato cōmodo. Ne finite ob paxillū domesticę iacturę, si mo-  
 do iactura inest tantū publicū impediti bonū. Recordamini vos  
 Romanis successisse principibus, nimirū Romanū penes q̄s im-  
 perii est. At cōsueuerūt illi, non sic ab hoste lacesſitū, toties a suis  
 rogati, bellū gerere. Statim accepta iniuria cōsueuerunt. Et sepe  
 prius quam plebi auditum esset hostis nomen, cum surdis vo-  
 bis tot iam annos, eandē cantilenā occinet populus Germanus.

Atq; hij quanti quanti fuerunt, a nostris maioribus bellū infes-  
rentes, strenue repulsi sunt, ac armis petiti etiā, & vt historiae me-  
morant, in sua Italia petiti, ac superati. In hoc rerū fastigio cū si-  
tis collocaū, his maioribus progeniti, tot annos patimini, omnes  
domi ac foris homines, quibus auxiliū a vobis nullū est, quia la-  
benibus rebus non succurritis, quia vestros, quia imperiū, quia  
patriā ac religionē negligitis, vestrā vobis opprobare desidiā  
vestrā ignauitā. Preter dignitatē est ista vos audire (sed audietis,  
donec non illā veterē deletis maculā) quē vt vos audire possitis  
nos non poterimus. Creditis enim non molestissimū nobis acci-  
dere, si quis apud externos, vestra nobis vitia, id quod frequenter  
contingit, obijciat. Quam inuitus namq; audiui in Italia, Tales  
nunc habet Germania principes. Et sciebant illi quā hic ageren-  
tur omnia. Ac penitē quomodo tota se haberet Germania. Quē  
conuiuia, qui lusus, quē & q̄ securā cōpotatiōes. Tum si quan-  
do in conciliū coiremus, q̄ id prepostere ageremus, ijdē illi com-  
pertū habebant. Erubui, quandoquidē vt erant agnouī. Ita res  
habet enim. In ludis alacres sumus. Vbi seria tractanda, deside-  
mus, ac refugimus. In rebus non necessarijs egregie exercemur.  
Vbi seruanda quā imperij sunt, vt ne dicā illud (quod nemini  
vestrum curē hactenus fuit) augenda, vbi defensiva religio, p̄  
pugnanda patria, nihil studij, nihil operē conspicit. Ita semper in  
anis nostra est fortitudo, inutilis vigor, vt nos exteri athletas esse  
bonos concedant, strenuos bellatores vsq; negent. Quāq; vt  
iterū vobis aures vellā, nulla ibi militū culpa est, plurimā ducum  
Robustissima est per Germaniā iuuentus, ingentes animi ac ve-  
rā gloriā auidi. Nemo preit. Nemo ducit. Sic iste perit vigor,  
ista languescit virtus, ac ipsa se extinguit, in obscuro mitescens ar-  
dentissima maximarū rerū gerendarū cupiditas. Proinde qui iu-  
cunda hactenus edidistis spectacula, iam etiā vtilia ac necessaria  
edite. Ac illas in Turcarū pectora serio confringite hastas, qui-  
bus in ioco & ludis mutua incursiōe vsi estis, bello quidē specta-  
culo, sed nullo vsu. Eodē negotio decus parabitur ac gloriā ac-  
cersetis quo inanem hactenus plausum captastis. Delectant ista  
quidem, & a nostris maioribus inuēta sunt pugne preludia. At  
vos q̄ diu preluditis, aut quando satis exerciti estis, vt aliquādo  
pugnemus

pugnemus aduersum inimicos. Peti a vobis fructus. Nam q̄  
ad voluptatē pertinent, abunde tam tulimus. Misere illa, ne sem-  
per ludat, semper iocetur Germania, sed aliquando iui similis fia-  
at. Delectant cibi qui dulces sunt, ijdem salubres, simul iuuant  
etiā. A viris non magni fiunt vnguenta quē olent tantū, nisi &  
salutare quid afferant. Contemnendę plurimū sunt vires vestre  
si exercendis lusbis tantū, non etiā tractādīs serijs vigent. Ac pa-  
rum gratiē habēdū nature, si ludicris istas procreauit dotes. Sed  
non voluit illa vos ludere, aut tantū ludere. Maximas res gerere  
voluit. Et iccirco istā dedit, inter omnes mundi nationes, specio-  
sissimā ac in omne robur cōpositissimā membroꝝ habitudinē.  
Ob quod vos beneficiū gratos erga illā esse decet, agentes aliquā  
aliquid vobis dignū. Cur enim ista fortia brachia ludere videm?  
cū Turcis luctari non videmus. Cur tot armorū genera, quibus  
inueniendis vnice Germanoꝝ pollent ingenia, in circo & thea-  
tro spectamus, contra Turcas non spectamus. At venandi etiā  
studio tenemur. Propius iste quidē ad virtutis laudē accedit la-  
bor. Sed non hoc ista sibi tempus spectacula poscit. Aut non to-  
tum in hoc eiuum consumere oportet. Nam dum nos syluas per-  
agramus, Turcæ regna petunt. Dum nos apros & ceruos, illi vr-  
bes ac arces illaqueant. Et vt intelligatis, quāto prestantiores no-  
bis Turcę venatores sint, dum nos imbelles lepores, fugaces da-  
mas insequimur, illi amplissima ac opulentissima interim Asiæ  
regna ceperunt, Africę laqueū induerunt. Magnā europę pariē  
irretitā tenent. Audemus cum ista venatione nostra cōferre stu-  
diā. Audemus fructuoso isti ludo sterile nostris cōparare la-  
bores. Turcę bella gerunt nos ludimus, Turcę regnant, nos cū  
feris conflictamur. Turcę triūphant, nos conuiuia agimus. Fe-  
quis ludendi modus. ignauit, vanitatis ac desidię finis. Quāq;  
vtinā ista qualiacūq; sunt potius ageremus, q̄ quā pauloante  
dixi, quibus in exitū Germaniæ exercemur, quādo directioni-  
bus operā damus, quādo incendijs, deuastatione ac cēdibus in-  
uicem nos consumimus. Nam vt nunc sunt studia, aut nunq;  
aut prepostere fortes sumus. Et tunc quidē animi nobis tumēt,  
vires ostentant, cum Germani Germanos perdimus, sed quā-  
to magis oportuit perpetuo ociari, q̄ sic obire negotiū. Annis

superioribus devastata est Bavaria, Afflictae, Brabantia, Gledria, Frisia, & Holandia, atq; in his patrie cladibus inuenti sunt, qui gloriam quoq; affectarent. Quasi vero magnifici sit, patriam vexare, Germaniam intestinis ac civilibus bellis involuere. Et multipliciter putabant. Adeo vera gloriam non sentit hoc tempore Germania. Et similes mihi videntur istiusmodi affectus, quibusdam cibis, qui ut perhibent medici, nullas corporis partes neq; augent neq; conseruant, ventri modo inflatione faciunt. Nam quidam sunt homines, qui ut nulla honeste laudis cupiditate tenentur, ita circa res frivolas & inanes ambitiosi sunt, illis ignavis canibus si miles, qui domi aduersum cicures audent, in sylua ne lepore qui dem allatrant. Nam ubi nefas est, gloriam affectant, ubi decus, ibi vero obdormiscunt. At magnifice de his loquuntur alij. Et adulationis studio, Arma virumq; canunt, & inuictos predicant. Quos ego iubeo ista abstinere magnificentia. Stultum est enim antequam his usus sis, arma iactare, vires ostentare, ac inanes proflare fumos. Cerui quoq; cum cornua habeant, & velocitate polleant, nihilominus a minutis expugnantur bestijs. Nuncq; sic nos timebunt Turcae. Res enim magnas sciunt consilij geri, sciunt concordia & consensu, ac erga duces obsequentia. Quae donec a nobis absunt, desinite vllam putare tam imbellem nationem, quae nos timeat, immo vero, quae non aliquando oppugnare audeat. Neq; tamen dubito principes maxima interim vobis aliquos promittere, ut simile quiddam contingat ijs, quae in somnijs videmus. Ut enim maxime distantia, breuissimo ibi momento coniuncta habemus, neq; vllam locorum aut temporum differentiam spectamus, ita illos credo in medijs istis copotationibus, in conuiujs ac choreis, aut si quando robustius iocantur, in venationibus subigere Turcas. Asiam diripere. Syriam ac Iudaeam in potestatem redigere. Nec moram ibi vllam, aut regionum longinquitatem, vel diurnam navigationem, ac maxima itinera, aut plurima terra mariq; discrimina, & quae obeunda sunt pericula, in rationem vocare. Sed quo eos leuissimus quisq; mentis flatus adigit, eo omnia colligere. Inde omnia in spem ponere. Verum nihil ad rem. Quandoquidem non a stertentibus vinci posse creditur, qui vigilantes quoq; oppressit. Nec fore ut ebrj superent, a quo

sobrii victi sunt. Aut a venatoribus ut debelletur, qui bellatores contriuit. Deniq; quis sperare audet eos, qui leui quadam mentis agitatione, ab infimis ad summa transiulant, atq; e terra statim caelum contingunt, rursumq; vbi volunt, inde huc demigrant, id est, nihil prouide, nihil ex ratione, sed omnia stupide proponentes, illud facturos, quod acutissime ingenijs nationes, maxima praedite sapientia gentes, summa industria atq; optimis consilijs non potuerunt. Adeo nobis consilio opus esse puto. Quicum videamus eos qui in tenebris, aut qui oculis capti errant, si quando pulsati ab aliquo fuerint, in incertum manus porrigere, ac impetu ferri, sed nihil agere, nobis aliquid pollicemur, quod nulla prius ratione concepimus: nullo prospeximus consilio: nulla agitauimus prouidentia: Quid, quae omnia pene a nobis peruerse agi video: in conuiujs bellica tractamus negotia. Vbi (ut nunc) de bello consultandi tempus, ludicra omnia exercemus. Quis nostrum enim, cum vocati sumus ut de bello consulamus, non conuiuia hic agit: aleam ludit: aut strenue nonnunquam bibit. Atq; haec cum in nobis spectem, aliquid mihi polliceri debeo, scilicet hoc in bello cessurum, etiam si ab istis moribus ne latum quidam digitum discesserimus? Sperare licet, fore ut nos deus respiciat. In istis certe consilijs, ut nunc sunt, si fiduciam ponimus, funditus perijmus. Perijmus inquam. Quid rationis enim quid sanitatis inest: Aeorum omnis ibi culpa est, a quibus perniciosum hoc prodit exemplum. Quid nisi: Quorum maxima de his cura esse debuit, hujus re pene perdita, securi agunt. Hi maxime serui, in leuissimum conuertunt lustrum. Ac ubi arma tractanda sunt, ibi inter pocula nocturni diurniq; sedent, & interim Astaticos exercitus contemnere audent, ac nobis istas ostendunt imagines, magna quidem ornamenta, sed maiorum principum. Quippe nullo iure virtus hereditaria fit. At si quis fuerit, qui strenue aliquid ipse fecerit, omnia fauoris plena inueniet, omnia laudis. Nam frustra domi stemmata seruant, qui nullo foris praclaro facinore nobilitatem asserunt. Quanquam est honor vetustati generis, sed spe quadam in nobiles coniecta, ut progenitoribus suis fiant similes. Quod nisi contendunt nihil magno opere titulis, nihil nominibus diutius mouebuntur homines.

Nec iccirco magnus quisq; putabit, quia aurum habeat, ga pur  
 pura veliatur ga latellibus stiper. Foris ista vobis adsunt, & cum an  
 tiquis illis coloribus communia. Nam & illi quia vasti, & artificio  
 exculsi, foris speciosi sunt, intus sordibus ac vastitate deformes.  
 Virtute opus est qui claritudinem affectant, hac duce eminere li  
 cet, & egregia de se fama ad posterum transmittere. At quae in  
 summis hominibus maior virtus, quam pro suis, pro imperio, pro  
 patria, pro religione, ac diis immortalibus sollicitudinem gerere?  
 Porro priuata spectare vilitatem pusilli est, & a magnis rebus, lo  
 ge absentis animi. Quae non dubito principes quorum pertineat  
 quin intelligatis. Custodiam vobis imperij, custodiam orbis diu  
 miserunt. Canes imitami. Nam & illi pro salute ouium anxie ex  
 cubant de se nihil magnopere solliciti. In omnium oculis vos con  
 stituit fortuna. Ad commune vestri spectaculum mundus conuenit  
 At nemo est quem amemus, nisi amabilem se gerat. Hoc est, nisi ali  
 quod in eo emineat alicuius virtutis insigne. Ac tantus quisq; ce  
 setur, quantum se moribus ac animo ostendit, non quantum generis  
 antiquitas probat. Neque id ab re. Nam & vasa, an integra sint, in  
 fuso liquore patet. Vos quales sitis, isto imposito onere cogno  
 scimus. Ista commissa cura spectamus. Magnus nemo est, qui non  
 animi virtutibus excellit. Qui a fortuna euehuntur, eorum bona,  
 non aliter quam oceanus, eunt ac redeunt. Videtis istos, quibus vos  
 contuli, colossos, si male librati sint, corruere. Nihil magis vos,  
 nisi ab animo vestra pendeat magnitudo consistetis. Vnica istius  
 modi molis bases, virtus est. Atque haec vera fulcit magnitudinem.  
 In hac vera nobilitas radices agit, quae submota, quicquid reliquum  
 est corrui, ac omnis repente extincta est claritas. Imperitorum ocu  
 li vestes, ac reliquum extra ornatum probant, qui sapiunt non perinde  
 iudicant. Nam hi membrorum compagine, & corporis habitudi  
 nem spectant. Sic ea quae a fortuna adsunt, non mirantur, nisi qui  
 bus nullum est iudicium. Nam prudentes ab animo aestimant. Iterum,  
 formas qui spectant, nuda petunt corpora. Similiter de vobis q  
 sententiam ferunt, non ex istis vos fortunae indumentis censent. Ex  
 terna sunt enim huiusmodi, & ita adsunt, ut integris vobis abesse  
 se possint. At illis animi ornamentis qui eget, solo nomine prin  
 ceps est, re vera non est. Quare iterum dico, intelligitis, quorsum hec

pertineant. Nempe ut si quis inter vos sit, qui non penitus ipse se  
 cognoscat, quid ista sibi velit persona, quouae in theatro ludi fi  
 ant perditur. Deinde ad virtutem, id est proprium & peculiare prin  
 cipis officium nitatur. Praeterea ut vos ad res maximas, quarum geren  
 darum hoc tempore summa occasio est, adhorter. Quid enim ista  
 finitibus rubigine obducta arma? Quid tot fortes animos suum illum  
 vigorem, longa bellorum intermissione finitibus perdere? Tempus  
 est, ut habeatur ratio Germaniae, ratio imperij, ratio communis re  
 ligionis. Atque inibi opus est consilij, sedulitate, vigilantia, labore  
 sobrietate. In summa, opus est, ne quid in vobis dis crepet, sed ut  
 omnia conueniant, & concorditer ut rerum curam suscipiatis,  
 ac vnanimi consensu ad finem usque perduretis. Non temere. Nam  
 si in re ludicra musici chordarum concentum exigunt, & si quid disce  
 pet, gratiam desperant, in serijs quanto magis opus esse concor  
 dia, opus esse coedere & coniunctione omnino firmissima pu  
 tandum? Quod proxime huc pertinet quando quidem non mino  
 ris id momenti est, eo omnes adnitimini, ut sit, qui cum vbiq; tum  
 vel praecipue hoc in bello vnus praesit, vnus ducat, vnus imperet.  
 Cui omnes pareant, omnes audientes sint. Quem omnes verean  
 tur, omnes suscipiant. A cuius imperatis nullus vel tantillum disce  
 dat. Atque is est communi vestro consensu, simul totius Germaniae  
 voluntate ac studijs iste MAXIMIL. Caesar. Quem quia deus  
 opt. max. ad hoc euexit fastigium, & vobis mentem indidit, ut id  
 boni consuleretis, suffragijsq; vestris concorditer imperatorem  
 vobis delegistis, atque ille ita haecenus imperio praefuit, ut eius  
 omnia magna, ac plane heroica, & generosi animi indicia, impe  
 ratoris amplitudinis argumenta, perspecta sint, Quae so impe  
 rator agnoscite, Et si quid haecenus non pro officio contigit,  
 ac vos intellexistis cuiuscunq; id culpa contigerit, ere vestra non  
 fuisse, emendate errorem, expiate culpam. Nihil sine duce geritur.  
 Nullum sine imperatore bellum. Ac magno emptum sibi velit  
 Turca ut vos sine duce rem tantam aggrediamini, ut sine capite  
 membra moueantur. Sine auriga currus, sine gubernatore nauis  
 eat. Scilicet ut vos rectore vacuos opprimat singulos, quos  
 non potuit vnuerfos. Nostis illud in etuellendis equis caudae  
 pilis Sertorij Romani consilium quid velit. Ita est enim. Si vos

concordes eritis, ac sub duce eritis, nisi omnes a nobis dii, omnis fortuna, oculos ac cor auertat, nihil pro sua spe efficient Turcæ. Qui, contra si dispersos, & sine imperatore, aut cum imperatore quidem, sed cui non pareant omnes, & cuius vilis apud suos sit autoritas, si tales nos offenderint, actum est. Perijimus. Non possum enim contemnere eum, a quo etiam qui timebant, superati sunt. Et sicut ad Asiaticam mollitiem, nequaquam nostros comparo homines, neque cum illa imbelli Sulthani militia Germanos confero exercitus, ita non possum despiciere eum, qui qualescunque sint quos vicit, maxima certe ac opulentissima subegit regna, & inde fesse omnia agit, neque cessat, ferendis laboribus patiens, obeundis negotiis promptus & exercitus. Qui iam assuevit vincere, quem & glorie stimuli, & prede dulcedo, ad omnia belli incōmoda ferenda indurauerunt. Eum, qui qualis qualis est, arma habet, equos, viros, naues, & illud quo omnia hoc tempore expugnabilia videntur, aurum. Jam quantum animi illa addidit Syriaca victoria: magnifici triumphi: superba spolia: Plurimum momenti habet o principes in bello dux, adeo ut sepe desperata victoria solo conspecto duce respirarit, Vt maximi sepe exercitus in fugam profligati, sub imperatoris aduentu, conuersi sint Ille verbis regit animos. Ille nutu affectus stirorum moderatur, & vel sola sui presentia vincere facit. Nonne quosdam legistis media pugna agro corpore in lectica productos militibus auxillis animos in tantum ut preter spem vincerent: Prestat hoc obedientia, cuius oportet tenacissimum esse in remilitari vinculum. Quid aliud volunt enim illa seuera Romanoꝝ veterum exempla, quam parere duci, id esse vincere: Cui instituto adeo illi studebant, ut eis ingrata fuerit, preter imperatoris scitu parta victoria. Quorum aliqui in proprios animaduertent filios, quod iniussu suo vicissent etiam alij ignominiam obuertent ijs, qui strenue quidem pugnauerant, sed non ex imperio pugnauerant. Omnino principes huic imperio imperatore opus est, quem si sui vereantur, magnum id est, si ament etiam, multo maximū. At si iussa faciāt satis. Prospicere hoc vos decet, ne si nūc beneuolis MAXIMILIANI hortatibus, non pareatis, fiat, ut imparatos, ac sine ordine & disciplina diuagantes, inuadentibus Turcis, sero nisi

mis gratis, quod bellum ducat, quod copias prestet. Cuius auspicijs in hostem pugnet. Oues quoque pastorem minus sequentes, ubi disperse fuerint, difficile congregant. Egedem irrupente lupo, repetere quod ac vitro, sed magno suo malo ad gregem confugiunt, & pastorem requirunt. Nisi oino despiciat hostis noster, nihil malit quam incōpositos nos, ac sine rectore constitutos aggredi. Sed sapit o principes, sapit in christo. Ac animo parit & oculis, in nostram intentus dissolutionem, quos non ignorat quam arduum sit repetere & vniuersos vincere, palates ac discordie studio diuersos, & hoc sine rege, sine duce ac imperatore, patulatum & singulos palantesque opprimere cogitat, his consilijs in tempore, & quam ad factum pueniant, ante obstitite. Paratus est in omnem euentum Cæsar. In quo cum nulla mora sit, quod est quod vos distineat, & minus officium faciatis & ipsi: Non iam somnum ille sibi indulget. Nocturno die cogitat, quomodo in comune consulat, id est, & consilio in concordiam vos adducat. Habet monitrice conscientiam, quam illi perpetuo adsistit, ac ut labentibus iam rebus suppetias ferat hortat. Quod cum facit illa, in memoriam producit, quas nobis clades, quam vastitatem cotidie inferant Turcæ. Pone ante oculos munitissimas vrbes vi expugnatas, nonnullas etiam excisas. Numerosos profligatos exercitus. Reges ac principes in vincula coniectos. Igne deuastatos agros. Homines christianos pecudem in morem mactatos. Alios in seruitutem abductos, ac maximam semper Christianorum in Asia seruentium multitudinem. Iubet deinde considerare quid ultimo tandem, post tot hostis successus, futurum putare debeat. Ostendit paratum & accinctum, iamque incursum aduersum nos hostem. Tum crebro illud superinculcat, potes hoc in casu ducere somnos: Non somnum igitur capit, sed vigilat. Et si agnoscitis, vobis vigilat, nobisque oibus, Cui si quoniam, aut deus, aut fortuna melior dederit, ut vos suo exemplo, ab illo diuturno somno experrectos videat, tum se putat ad summum votum suorum conscendisse, & quod tota vita conatus est, ut consultum esset reip. Christianæ, id se expergefactis vobis, obtinuisse, nihil interim sollicitus, quod vos multos & potentes iuxta se in Germania principes videat, nec iccirco imminutum se existimans, nihil magis, quam quod manum habet in multos distentas digitos, & ob id ad opus faciendum abiliores. Hoc petit, hoc summis votis optat, ut ista suo conueniant corpori membra suorumque sub sint capiti, quoniam quod alia nulla ratione corpus ipsum constaturum videt.

Vos igitur, quod ille tam cupide petit, ut ad sanitatem redeatis, facite, ne quod vestre salutis nomine queritur, ei quo minus acceptum sit obstitisse ipsi videamini. Admittite consilium. Accipite sanitatem, atque adeo salutem accipite. Iam enim omnia in his sita sunt, ut concordies primum sitis, deinde ut imperatorē agnoscat. Atque hec duo huiusmodi sunt, ut neutrum sine altero consistere possit. Nam & emotis dissensionibus, intelligetis sine imperatore vos deficere, & agnito imperatore, ad mutuam concordiam omnes inclinabitis. Dabunt se ista inuicem. Qui iam igitur satis ut puto intellexistis, quod vobis mutua concordia opus sit, atque si dem videtis, quod non possit ea sine quodam in quo versetur cardine, id est sine publico rectore ac principe consiliter, quod omnium vota expetunt, publica flagitat necessitas, vestra exigit dignitas, ut omnes salui simus, vos gloria aucti & ornati, parete ei qui vos recte monet, recte ducit. Sine quo non plus ipsi potestis, quam sine vobis ille. Nam ut in comparatione deducamus rem quam infirmum illud erit, sine reliquorum ministerio membrorum caput. Rursum quod ut turpe, ut mancum ac defectum sine capite corpus. Pruta animalia ducem agnoscunt, armenta taurum, arietem oues, Elephantem quoque eum qui pregit sequitur. Et grues ductorem suspiciunt. Apes regem venerantur. Quae cum in ratione carentibus animantibus videamus, vos sine duce, sine rege, atque adeo sine capite eritis. Aut non meministis maximas saepe res, vniuersi consilio ac providentia ducis gestas, nihil unquam vel a maximis sine duce exercitibus. Ut non insipienter monuerit, qui exercitum ceruorum maluit leone duce, quam exercitum leonum ceruo duce, id scilicet reputans, in imperatore situm, quo eventus res gerantur. Agnoscite caput, parete imperatori, vel ob id maxime, quod in vos illa inclinatur successio. Proinde quilibet vestrum cogitet, ut nunc prestet alteri, quod ipse sibi, ad hoc prouolutus fastigium prestari vellet. Et nunc parere discat, ut aliquando imperare sciat. Videtis ferocissimas nationes, nunquam diu aut bene imperasse, contra Assyrios, Medos, ac illum Asiaticum luxum tot annos & egregie. Tantum est scire imperare. Atque hoc in eo situm est, ut parere scias ac possis. At quis non posset imperatori benefico, liberali, iusto, dementi, & quocumque virtutum respicias,

egregio.

egregio: Qualis est MAXIMILIANVS, qui annos iam triginta amplius, patrimonij sui fructibus, imperij onera sustinet, oibus interim curis agitur. In nulla constitutus quiete. Quando enim tranquillū vidimus: Aut quoniam non in noua aliqua sollicitudine precipitatus: Cum nos interea (prosequor enim semel libere institutum sermonem) aut domesticis voluptatibus, aut intestinis contentionibus operam damus. Quos ille si quoniam ex officio corripit, tamen vero iugum exclamamus, ac seruitutem interpretamur. Deinde quasi iam illud excutiamus iugum, ac ab illa nos vindicemus seruitute, libertatem vocamus, imperium non agnoscere, imperatori non parere. Omnia impune audere ac facere. Quid quod aliquos, non principes illos quidem (quod ego sciam) sed ex his qui se principibus consule re dicunt, putare videmus, consilium imperio, vbi poscente natura nobis MAXIMILIANVM deus eripuerit, ut externum quempiam accersamus regem: Qua cogitatione, quem foedior in Germani hominibus consultatione cadere posset: Quamquam non ignoret quid sibi proponant illi, Nempe futurum putantes, ut quo longius absit imperator, eo liberius victuros qui sub impio sunt. Quod ignorant quod eos fallat. Nesciunt enim libertatis conservator esse, quem deum interpretantur. Ac non posse ista tam diuersa sine concorditer degere membra, Abijcite igitur qui quod estis, ineptam opinionem, stulta vota, in sanum consilium. Vos autem principes, ne sinite turpissimam vestris temporibus notam iniuri ut defuisse suus ac genuinus huic nationi princeps credat, quod nunquam prius defuit. Ut peregrinum nobis iugum imponatis, quod nunquam ante tulimus. Preuiter ut Germaniam Germani prodant, quod nunquam in huius gentis mores cadere putatum est. Quid aliud fiet enim isto consilio quam si nativum quod sibi membrum adimat, ac fictivum reponat. Quasi vero principes non habeat Germania. Quasi regius hoc seculo inibi sanguis defecerit. Quasi prisca deserit virtus. Nolite igitur o principes ipsi despere vos, de quibus optime nos speramus. Nolite ista tam vegeta tam bene habetia ac composita repudiare membra, ac peregrinum aliunde attrudere. Nolite cum tot sint in Germania fortissimi ac nobilissimi iuvenes, tot optime spei adulescentes, externum arrogare principem, id est carneo ac vero corpori, suos subducere pedes aut manus, & ligneos aut suberinos ac fictos apponere. Quod

E

si qui sunt, qui non admittant cōsiliū, & quibus omnia libet in-  
uertere, his ego cum innocente hoc MAXIMILIANO, a dijs  
immortalibus illum quē tantopere affectant externū dominum  
precabor, vt istam eis preposteram libertatem, in acerbiſſimā ac  
ignominioſiſſimā ſubiugationē vertat. Iniquū est enim illud ho-  
rum cōſiliū, nefariū & ſceleſtū, ac ſumme pernicioſum. Quos ſi  
vlla virtutis recordatio ageret, id eſt, ſi vera Germani eſſent, mori  
ante decuit, q̄ eo cogere, quo ſe vltro nunc intrudūt. Sed miſe-  
ſum faciamus hos, cum ſuis cogitationibus, ineptos cōſultores,  
Vos principes, quod pluribus fortalſe q̄ oportuit egi, quia o-  
portunū eſt, quia neceſſe eſt. & quia differrī non potelt, vt con-  
tra Turcas arma ſumantur hoc tempore, atq; id alio non fiet cō-  
ſilio, q̄ ſi vos cōmunē amplexemini concordia, ac inuicē redeas-  
tis in gratia, agite nobiliſſimi proceres, fortiſſimi viri, proles Fri-  
derichorū, genus Othonū, Sanguis Henrichorū, poſteritas Ca-  
rolorū, Agite in q̄, redite in gratia. Facile hoc vobis eſt, ſed quam  
quam facile, ita tamē ſalutare imperio, patrię ac Chriſtianis om-  
nibus vt iſtam ſi vobis (quod ſpero) cōcordia deus indiderit iu-  
re optimo cōmunem ſalutē appellare liceat. Et cunctamini, ac to-  
tum bonū in medium dare, vel momentū differtis? Quin vos  
oēm hic moram odiſſe iuuat, & conſeſtim omnibus ſalutē, vos  
his etiā laudem ac gloria parere? Urgent vos hoīm deſyderia,  
impellit publica neceſſitas. An aliquis veſtrum eſt, cuius auribus  
non inſonuerint iſta? reſpiciate nos principes. Defendite fortunas  
noſtras. Conſeruate dignitatē. Depellite interitū. Ergo agite ex  
illo obſcuro deſidię ac cunctationis carcere, in patentiſſimū ve-  
ræ glorię campū erumpite. Prope hoſtis eſt, non cōtemnendus  
ille, ne negligendus quidē, aut non magnis apparatibus excipien-  
dus. Qui cum intra Aſiam quā poſſidebat, continere ſe non poſ-  
ſet, bonā Europe partē imperio ſuo adiunxit. Inde ruriſum ge-  
tis impatientia Africā inuaſit, ac veluti immanis beſtia humanū  
ſtiens ſanguinē, deuicta Syria, & quicquid iuxta Sulthanus poſſi-  
debat, ſimul Aegypto ad iugum ducta, oēs in nos cogitationes,  
ac vniuerſam belli molē cōuertens, cladē Italię, vaſtatē Panno-  
nijs, Illyrico ac Sarmatię, poſtremo nobis quoq; periculū inten-  
tat. Huic talitā furioſę beluę ſic nos petenti, vt alacriter occur-

ramus, vel ipſum Germanicę vocabulſi, incitare debet. Nam ſi ad  
nominis Ethymologiā reſpicimus, idē eſt ideomate noſtro Ger-  
manus, quod latine ex toto vir, aut omnino vir, aut perfecte vir,  
quaſi tu dicas, ab omni virtute conſumatū hominē. Adeo fue-  
runt circa glorię ſtudiū ambitioſi maiores noſtri vt vocē quoq;  
vellent eſſe, quę ad virtutē hortaret. Et geſſerūt illi res maximas  
ac nobis per manus tradiderunt gloriā, quā niſi aſſerimus, vere  
Germani non ſumus. Sed vt ſumus, in veſtra ſitū eſt voluntate.  
Nam de reliquis bene habet. Et ſumptus quoq; ſuffecturi vi-  
denī. Valde enim mihi probat hoc cōſiliū, quod agitare quos-  
dam video, vt a ſacerdotibus, ſed illis, qui neq; militabunt ipſi, et  
rebus ad victū neceſſarijs omnibus aſſatim abundāt, pecunię  
petant. Vt item ab opulentiſſimo quoq; eorū qui in liberis ciui-  
tatibus ociantur. Nec deſuturi nobis p̄j ſacerdotes, boni ciues  
videntur. Tum illud recte excogitatū, vt ex ſingulis fratrū colle-  
gijs, ſinguli mittant, qui monaſterij ſui ſtipendio, militent, ex q̄-  
buſdā, vt facultas erit, bini. Idem apud Canonicos fiet delectus  
Tribuent & ciuitates, quę vocant liberę. Ac mercatoribus impe-  
rabit veſtigal, his preſertim, qui peregre negociant, aut qui plu-  
rimū lucrant. Quibus rationibus minimo oīm diſpendio, maxi-  
mam conſiciemus pecuniā, ingentē conſtabimus exercitū. Vos  
modo annuite. Vos adnitimini. Nec deeſte ſic paratis. Quippe  
oīa ſi vos eſſe velitis, parata nobis ſunt. Hactenus diſcordię im-  
pedimento vobis obſuiſtis. Quā ſiq̄n excludatis, ac ad vos rede-  
atis, in prōptu cōſiliū, in prōptu ſalus erit. Ac excludite oro, &  
ad vos redite. Potentiſſimo cū hoſte, atq; eo inſtructiſſimo &  
iā prope cōſtituto certandū eſt. Qui cū ſatis alioq; metuendus vi-  
deat, tū in primis huic natiōi inſenſus eſt. Qd̄ cū vobis p̄ſaſum  
putē, agite viciliſim malū intendite. Primū Turcę cōmuni oīum  
Chriſtianoꝝ odio tenent, deinde hęc precipue nationē inſenſe  
oderūt. Reddite vicē, ac par pari referte. Recte malū ſit ei, q̄ ma-  
le volentē, cū poſſet, nō puenit. Negligenda nulla inimicorū ne  
ſuſpicio qdē eſt. Precingite vos. Erumpite. Inuehimini. Magnā  
opis partē qui incepit, perfecit. Cōſiliū eſt perdere eū qui nos  
didit it. Qui non quomodo nobis imperet, ſed vt mortē inferat,  
meditatur. Qui non opibus noſtris inhiat, ſed vite inſidiatur.

Cuius non est studiū, vt nos subigat, sed vt interimat, vt trucidet  
 Quē nulla tenet regnorū nostrorū cupido, sed insatianda cędis  
 ac sanguinis sitis. Qui nos oīm nationū maxime extinctos vult.  
 Qui quāto q̄s virtute p̄stantior est, tanto infensus odit ac per  
 sequit̄, hostis hoībus, hostis religioni. Imo vero hostis humani-  
 tati, hostis deo. Audite igit̄, audite ac exurgite, fas est odisse prin-  
 cipes, aut verius necesse est totis viribus cōtra hęc rabię ferri, cō-  
 tra hanc pestilentia inuehi. Clamāt ad vos oēs quę Christū pro-  
 fitent̄ nationes. Clamant finitimi. Clamat patria. Clamat imbe-  
 cillior ætas, pueri ac sēnes. Clamant scēminę. Ac interim religio  
 quoq̄, quę se defensam a Turcis vult clamare. Per deū immorta-  
 lem exurgite. Exurgite quęso. Ac dū oīa seruatis, vestra quoq̄  
 salua reddite. Liberatē nos a iugo. Eripite e faucibus truculen-  
 tissimę belluę. Defendite religionē, pro qua tot martyres non  
 dubitauerunt contumeliose mori. Eodē beneficio deū simul ac  
 hoīes demerebitis. Reuocate in mentē vestros maiores. Ponite  
 ante oculos, quo in loco cōstituti sitis. Cogitate q̄ ista vobis cō-  
 seruanda sit dignitas, q̄ tuenda existimatio. In procliu est, vt vin-  
 catis, modo ineundi belli cōsiliū capite. Magna est oportunitas  
 Ne finite elabi, Optima occasio, Ne finite preterire. In summa  
 Nunq̄ ista simul fuerunt, summa necessitas, & optima occasio.  
 Itaq̄ vt maximū discrimen est, cui obijcitur, ita & summa vna-  
 cendi spes & vberimus victorie fructus. Quia tñ ambigui sunt  
 & incerti belloꝝ exitus, vt in oēm vos partē recte moneā tale est  
 hoc bellū, vt in eo vinci quoq̄ gloriosum sit. Et quotus quisq̄  
 vestrū est, q̄ si moriendū ei nunc sit, non sic malit, q̄ vtrūq̄ mo-  
 ri, am ista quanta sunt, quę vobis proponunt̄ p̄mia? Vera ac  
 sempiterna apud oēm posteritatē gloria. Ingens apud deū meri-  
 tum. Opulentissima ex hoste spolia. Vno eodēq̄ negotio, fame  
 celebritatē, salutē animorū, & fortunarū vestrarū incrementum  
 breuiter, vno eodēq̄ negotio, q̄ quid homini appetēdū est, par-  
 tum habebitis. Potest enim aliqd esse p̄terea cuius nobis vsus  
 sit? Aut potest vllū esse tam durū negotiū, tam p̄sens periculū,  
 qd̄ obire q̄s, istis p̄positis p̄mijs dubitet? Videmus hoīes non  
 magnis p̄ditos animis, spe modici alicuius lucelli, p̄sentissim-  
 is se terra ac mari periculis exponere. Vos qd̄ facietis, et nobis

les, & principes, & summi, quibus cum lucro gloria, cum gloria  
 æterna foelicitas obijcitur? Tum sepe ex infima plebe aliq̄ nihil  
 non audet, vt potentē quępiā sibi demereat. In vobis quę mora  
 est, apud oīpotētē deū summā inire gratiā? Summū in cęlo bo-  
 num reponere? Imo vero quę segnities est, ipsos lucrari cęlos?  
 Et victi & victores, vtrubiq̄, & hic & in illa sempiterna patria  
 triūphabit̄. Summa sunt ista. Sed tñ vt non sint, neq̄ hęc glo-  
 ria, neq̄ ista p̄mia, vrget nos a tergo, trahit a fronte necessitas,  
 & bello ad bellum cogimur. Oīa per Germaniā militibus plena  
 sunt. Vndiq̄ arma. Vndiq̄ equi. Ociat̄ Germania, sed esse cupit  
 qd̄ agat, & nisi vos materiā dabit̄, inueniet. Sed perniciosum  
 hoc erit qd̄ inueniet, vobis maxime, per quos non erat qd̄ agere  
 tur. Quorū desidia virtutis studiū intermittebat̄. Qui negligebat̄  
 imperiū. Qui calamitatibus exponebatis Germaniā, intellexi-  
 stis? An darius hęc dici vultis? Sic rem accipite principes. Ingens  
 annonę charitas diuersat̄. Nusq̄ bellū est, quo exeāt, qui egent,  
 qui esuriunt, nisi istic quo vos hac exhortatiōe voco. Quibus pe-  
 reundū fame est, mallent ferro, date arma, date signa. Cum viris  
 pugnare q̄ cū fame et egestate Germanos magis decet. Nolum⁹  
 inopia principes nolum⁹ esurie perire, pulchrūq̄ mori succurrit  
 in armis. P̄terea eā scitis esse Germanię cōditionē, vt quanto  
 q̄sq̄ frugibus magis aduersus est annus, tanto magis bello ami-  
 cus sit, Vnicū itaq̄ leuandę annonę cōsiliū est, foris bellū gerere  
 quo exeat iuuentus, vt minuat̄ domi multitudo. Proinde operā  
 vos dare cōuenit, ne seditionē induat Germania, ne in vestras, ne  
 in aliorū possessiones impetus fiat, ne dum opimā foris negligi-  
 mus p̄dam, domi cogamur pro patrimonijs nostris, intestinis  
 cōmisceri cędibus. Nec tñ, ne ista fiat, sed & ne interim discor-  
 dia nostrę occasione, illa in nos Asiatica tēpestas ruat, quo dū-  
 plici clade opprimamur. Date operā, ne q̄ nunc libere tueri oīa  
 potestis, intra id discrimen includamini, vnde expediri difficillimū  
 sit, facile id prestabit̄, nullo vestro incōmodo, nulla mole-  
 stia, si cōcordes fueritis, si imperatorē agnoscat̄. Quid multū?  
 Tandē deliberate, domi a vestris capi velitis cū dedecore, an for-  
 ris experiri cū gloria. Meū cōsiliū est p̄uenire vltima, Amoliri a  
 Germania bellū, domesticas intercipere seditiones. Conseruare

dignitatē. Augere imperiū. Ad diuitē cōcurrere prēdā. Idq; hoc  
potissimū tēpore, qn̄ oportunitū maxime est. Quādo se que om-  
niū expectatiōē vincit, ostēdit occasio. Sed iā incitatos vos vi-  
deo, & alacritatis signa agnosco, Video gestire quosdā, & nihil  
q̄ bellū, idq; cōfestum velle. Atq; hanc vnā oīm cogitationē exi-  
stimo, huc oēs intendere, hoc conari, atq; igit̄ in cōmunē cōcor-  
diā propensos, & parere Cēsari paratos. Quib⁹ a Christo opt.  
max. primū, vt cōstanter in hac opiniōe pseuerēt, deinde vt oīa  
sibi foeliciter fortunatēq; euenire videāt, ac gaudeāt precor.

DIXI.

VLRICHI DE HVTTEN EQ. AD GERMANOS  
suos. Exhortatorium.

Dormitum nimio plus est, exurgite ciues.

Et curam fracti corripite imperij.

Dormitum nimio plus est. Iam Pannonas acer

In vestro pulsat limine Turca fores.

Dum vos somnus habet (tantum est vigilare) pudendo

Dedecore, & nostris cladibus hostis adest.

Hostis adest, vigilate viri, vigilate repente.

Iam feret externum teutona terra iugum.

Hoc tulerit Rhenus, tulerit Germania pugnax,

Hic Asiam domina sceptrā tenere manu.

Et quod Roma potens, tunc cum se in flore videret,

Non potuit, nunq; Gallia quod potuit.

Non crudi potuere Scythæ, Daciq; Gethæq;

Quod non finitimi Sarmata cultor agri,

Hoc Turcas potuisse leuēis, hęc viderit ætas.

Et (pudor) ex Asia senserit imperium.

Ah alacres vbi nunc animi? vigor ille vbi ciues.

Qui fuerat, post tot secula notus adhuc.

Tanta atavos fecisse, neq; id nescire nepotes,

Exemplum vitæ non capere inde tamen.

Ecceruit, victaq; Asia, Aegyptoq; subacta,

Quod superest, in nos agmine Turca mouet

Bellorumq; omnes curas, molemq; superbam,

In populos Rheni Danubijq; vehit.

Nec venit, vt regnet, venit vt (me audite) trucidet.

Vt iugulet, sola hęc pectore cura sedet.

Si iuuat vsq; ignaua sequi, virtute relicta,

Nec famam egregio Marte parare iuuat,

At vitam retinere opus est, patriamq; tueri,

Extremam & lapsis addere rebus opem.

Quod nisi nunc fiat, nisi nunc Germania somnum

Deserat, ignauas dissoluatq; moras

Aut totum ruet imperium, resq; ipsæ, hominesq;

(Ah pereat Turcas qui negat esse viros.)

Aut feret hūc Gallus, feret hunc Hispanus honorem,

Obiectum nobis pręripietq; decus.

VLRICHVS DE HVTTEN EQ. CLARISSIMO

viro Iacobo de Bannisis Decano Tridentino, &

Cæs. M. a Secretis, Salutem.

**Q**uia iturus es ad Cēsare, eiq; cōmendaturus me videris,  
ne sine aliquo meo, quo vtriusq; illum noīe dones, mu-  
nusculo eas, ecce tibi orationē, si meret̄ dici, ornatif-  
sime Iacobe, q̄ ad principes Iusi. Dico Iusi, non mea quidē volū-  
tate, sed illoꝝ iudicio. Iā hoc em̄ verbū nō ob id vsurpo, qd̄ mi-  
hi ioco exciderint hęc, q̄liacūq; sunt, sed ga ludus est illis, de bel-  
lo Turcico verba facere. Adeo nō mouēt hoc tpe hoīes, q̄ exi-  
tū impio, exitū patrię, atq; adeo exitū religiōi que minant. Ac  
vereor, vt vllis aliqñ exhortatiōibus effici possit, vt qb⁹ maxie  
& in primis esse debuīt, cura istiusmodi reꝝ sit. Deus nos respiciat,  
ac mentē Germanis indat, meliorē, vel q̄ ad cognoscendū se  
hac tēpestate satis sit. Tu vade bonis auibus, ac apud istunc rerū  
dñm me, quē tot iā annis aliq; mouēt, tandē pmoue. Dabis hoc  
cōmunibus studijs, aut ei dabis que te supra oēs Cēsaris Con-  
sultores humanitatis opiniōe effert, famę. Vale ex valetudina-  
rio meo Augustę, iij. Idus Octobris.

In officina excusoria Sigismundi Grīm Medici, & Marci  
Vuyrsung, Augustę, An. M. D. XVIII.

Obiectum nobis precipue dicitur  
An ferret huc Galus, ferret huc Hispanus honorem  
(Ab perat Turcas quibusque aliis viciis)  
Aut totum in unum respicitur, hunc mundum  
Delere ignis, dissolvit mors  
Quod nunc est, nunc est, nunc est, nunc est  
Extrema & lapsa aetheris rebus opem  
At vitam tenent, opus est, tamen parum  
Nec tantam ergo hanc partem  
Si unum vix ignis, non vixit, non vixit  
Vt unum, sola hoc partem, cur hanc  
Nec vixit, ut regem, vixit, vixit, vixit  
In populos hanc, hanc, hanc, hanc  
Hanc, hanc, hanc, hanc, hanc, hanc

VL RICHVS DE HATTENLO, CHARISSIMO

viro Jacobo de Spania Decano Tiddiano, &c.  
Carissimi, salutem.  
Vixit, ut ad Cetera, ut ad Cetera, ut ad Cetera  
ne sine alio meo, quo vixit, ut ad Cetera  
in solo cas, ut ad Cetera, ut ad Cetera  
fuit Jacobo, ut ad Cetera, ut ad Cetera  
tunc, ut ad Cetera, ut ad Cetera  
lo Tiddiano, ut ad Cetera, ut ad Cetera  
ill' impio, ut ad Cetera, ut ad Cetera  
venit, ut ad Cetera, ut ad Cetera  
in parte, ut ad Cetera, ut ad Cetera  
et, ut ad Cetera, ut ad Cetera  
hoc, ut ad Cetera, ut ad Cetera  
dum, ut ad Cetera, ut ad Cetera  
comparat, ut ad Cetera, ut ad Cetera  
liberis, ut ad Cetera, ut ad Cetera  
vixit, ut ad Cetera, ut ad Cetera



In officio exultans Sigismundus Medicus & Medicus  
Vixit, ut ad Cetera, ut ad Cetera

